Quaestiones Varroniauae

Ernst Samter

Digitized by Google

[redacted]
2942
897

UNIVERSITY LIBRARY,
MAY 8 1899
PRINCETON, N. J.

II 4150



CLASSICAL SEMINARY
PRINCETON UNIVERSITY

Digitized by Google

UNIVERSITY LIBRARY,
MAY 8 1899
PRINCETON, N. J.

Digitized by Google

QUAESTIONES VARRONIANAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA

BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

DIE VI. M. MARTII A. MDCCCLXXXXI

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ERNESTUS SAMTER

POSNANIENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

K. KALBFLEISCH, CAND. PHIL.

F. MÜNZER, DRD. PHIL.

W. SCHMITTHENNER, CAND. PHIL.

BEROLINI, 1891.

HEINRICH & KEMKE.

Digitized by Google

Digitized by Google

HERMANNO DIELS

SACRUM.

2942
.89f
115271
(RECAP)

Digitized by Google

Quaestiones Varronianae.

M. Terentii Varronis libris restituendis quamquam inde a Krahnero, qui primus resuscitavit haec studia, postquam diu iacuerunt derelicta, multi viri docti operam dederunt[1]), minime totam rem iam profligatam esse satis constat. Adhuc enim pio desiderio expetitur reliquiarum editio illa amplissima, cuius causa omnes hi labores fiunt, dico eam, qua contineantur non solum fragmenta ipsius Varronis nomine tradita, sed omnia, quaecunque satis certo ad illum referri possunt, licet eius nomen taceatur. Nec vero ingens illud opus perfici poterit, nisi prius omnes posterioris aetatis scriptores, qui Varronis doctrinam aut ipsi compilarunt aut compilatam ab aliis acceperunt, accuratius excussi erunt atque examinati. Multi autem Varronis aureoli, etsi magnopere auctus est a viris doctis fragmentorum numerus, in scholiastarum compilatorumque farragine adhuc abditi latent. Quod cum ita sit, minime acta agere mihi videor denuo hunc litterarum campum ingressus. A Servii autem scholiis ideo plerumque profectus sum his in quaestionibus, quod omnium fere scriptorum, apud quos Varronianae doctrinae vestigia exstant, hunc minime exhaustum esse cognoveram. Praeterea de Solini primo capite quaedam addidi neque, ubi occasione ad eam rem delatus sum, de ipsius Varronis fontibus paucis quaerere supersedi.

[1]) Recensita invenis, quae inde a Krahnero viri docti praestiterunt, a Mercklinio philolog. tom. XIII, p. 700, a Riesco ibid. XXVII, 308, a Mirschio [de antiquitat. rerum humanarum libris XXV. Lips. 1882] p. 4 sqq.

Digitized by Google

I.

Servii interpolator [ed. Thilo] ad Vergilii Aen. VIII, 336 haec exhibet de Carmente:

»*Carmentis nymphae monita] matris eius* [haec duo verba genuini Servii sunt], *quae Nicostrate dicta est, sed ideo Carmentis appellata a suis, quod divinatione fata caneret: nam antique vates carmentes dicebantur, unde etiam librarios qui eorum dicta perscriberent, carmentarios nuncupatos.*« Cf. Serv. Aen. VIII, 51.

Quae ad Varronem referenda videntur coll. Dionys. I, 31 [rec. C. Jacoby].

„*ἡγεῖτο δὲ τῆς ἀποικίας Εὔανδρος Ἑρμοῦ λεγόμενος καὶ νύμφης τινὸς Ἀρκάσιν ἐπιχωρίας, ἣν οἱ μὲν Ἕλληνες Θέμιν εἶναι λέγουσι καὶ θεοφόρητον ἀποφαίνουσιν, οἱ δὲ τὰς Ῥωμαϊκὰς συγγράψαντες ἀρχαιολογίας τῇ πατρίῳ γλώσσῃ Καρμέντην ὀνομάζουσιν. εἴη δ' ἂν Ἑλλάδι φωνῇ Θεσπιῳδὸς τῇ νύμφῃ τοὔνομα. τὰς μὲν γὰρ ᾠδὰς καλοῦσι Ῥωμαῖοι κάρμινα.*“

Ibi enim, quamquam ipsum Varronis nomen non laudatur, tamen ille manifesto significatur verbis „*οἱ δὲ τὰς Ῥωμαϊκὰς συγγράψαντες ἀρχαιολογίας.*“

Plutarchus (Romulus c 21) praeter alias explicationes hanc quoque adnotat, sed Carmentem Euandri coniugem, non matrem fuisse tradit. Tamen cum in ceteris consentiat cum Varrone[1]), ea una re nescio an non efficiatur alio ex auctore atque

---

[1]) Cf. Barth, de Iubae *ὁμοιότησιν* a Plutarcho expressis. Gottingae 1876. p. 37.

H. Peter, Quellen Plutarchs in d. Biograph. d. Römer. Halle 1865. p. 158.

Digitized by Google

Varrone Plutarchum sive potius Iubam[1]) ibi pendere, immo multo veri similius puto Varronem utrumque narrasse, sicut de Fauno et Fauna.[2]) Alio autem loco (quaest. Rom. 56) Plutarchus, item ut Dionysius et Servius, Carmentem Euandri matrem fuisse dicit. Vocari illam Themin sive Nicostratam.[3])

Quorum nominum illud e Dionysio Iuba videtur sumpsisse, cum ceteroquin nusquam legatur, alterum e Varrone.[4])

Quae sequuntur apud Servii interpolatorem ad Aen. VIII, 336 (»*alii huius comites Porrimam et Postvertam tradunt, quia vatibus et praeterita et futura sunt nota*«), ea ex Ovidii fastis (I, 633) hausta esse possunt. Varronem autem aliam sententiam de Carmentibus posuisse Gellius auctor est, qui haec e Varrone servavit (noct. Att. XVI, 16, 4).

»*Quando igitur, inquit, contra naturam forte conversi in pedes, brachiis plerumque diductis, retineri solent, aegriusque tunc mulieres enituntur, huius periculi deprecandi gratia arae statutae sunt Romae duabus Carmentibus, quarum altera Postverta cognominata est, Prorsa altera, a recti perversique partus et potestate et nomine.*« Cf. Tertull. ad. nat. II, 11. (p. 115, 7 sqq. ed. Reifferscheid-Wissowa).

Tamen quaerendum videtur, aliane praeterea de Carmentibus eaque similia Ovidianis Varro protulerit.

---

[1]) Nam per Iubam Plutarchum accepisse, quae exhibet Varroniana, Barthius mihi persuasit.

[2]) Cf. Tertullian. ad nat. II, 9; Macrob. Saturn. I, 12, 27; Lactant. inst. div. I, 22, 10. Huius exempli cum meminerim, Barthii coniecturam haud inscitam probare dubito: qui (p. 37) scripsisse Plutarchum »*τὸν Φάυνδρον τοῦ Ἀρκάδος μητέρα, γυναῖκα μαντικήν τινα*« suspicatus est. Hac autem coniectura reiecta eo a Barthio dissentio, quod hanc rem, item ut ea quae praecedunt, ab ipso Varrone, non a Dionysio Iubam petiisse puto.

[3]) Plut. q. R. 56 [ed. Bernadakis]. »*τὴν δὲ Καρμέντην οἱ μὲν Φάυνδρου μητέρα λέγουσιν οὖσαν ἐλθεῖν εἰς Ἰταλίαν ὀνομαζομένην Θέμιν, ὡς δ' ἔνιοι, Νικοστράτην. ἐμμέτρους δὲ χρησμοὺς ᾄδουσαν ὑπὸ τῶν Ἀυτόνων Καρμέντην ὀνομάζεσθαι. τὰ γὰρ ἔπη κάρματα καλοῦσιν.*«

[4]) C. Acilii vestigia Varro ibi videtur pressisse.

Cf. Strabo V, p. 230 (p. 316, 25 Meineke). Schwegler, hist. Rom. I, p. 80, 1. H. Peter, historicorum Rom. reliquiae. p. CXXI.

Digitized by Google

Qua de re iudicare non poterimus, nisi prius, Macrobii Saturnalium libri primi caput septimum quo ex auctore pendeat, quaesierimus.

Afferuntur ibi (I, 7, 28/31 [rec. Eyssenhardt]) haec e Varrone (= antiq. rer. hum. ed. Mirsch. l. II, fr. 2):

»*Pelasgi, sicut Varro memorat, cum sedibus suis pulsi diversas terras petissent, confluxerunt plerique Dodonam et incerti quibus haererent locis, eiusmodi accepere responsum:*

„*στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατούρνιον αἶαν*
ἠδ' Ἀβορειγενεῶν, Κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται,
οἷς ἀναμιχθέντες δεκάτην ἐκπέμπετε Φοίβῳ
καὶ κεφαλὰς Ἅιδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα

acceptaque sorte cum Latium post errores plurimos appulissent, in lacu Cutiliensi enatam insulam deprehenderunt. Amplissimus enim caespes« etq. s. usque ad verba »*inde mos per Saturnalia missitandis cereis coepit.*«

Quae consentiunt cum Dionysio I, 19[1]) et Lactantio, inst. div. I. 21, 7 (= l. II, fr. 4 Mirsch.).

De lacu Cutiliensi conferas Plinium III, 109. Uberius illum lacum descripsit Dionysius (I, 15) ipse quoque Varronem secutus. Cf. Kiessling. l. l. p. 38.[2])

Quae de Delo insula Macrobius interposuit, illum non de suo addidisse, sed ea quoque invenisse apud auctorem suum nescio an e Plinio IV, 66 concludere liceat. »*Delos, quae diu fluctuata, ut proditur, sola motum terrae non sensit ad M. Varronis aetatem.*«

De Hercule idem Lactantius l. l. et Dionysius I, 38.[3])

---

[1]) Quamquam mirum est Dionysium »*Κρονίδῃ*«, Macrobium »*Ἅιδῃ*« scripsisse. »*Ἅιδῃ*«, ne quis Iovem intellegeret, pro »*Κρονίδῃ*« interpolatum esse putarem, nisi Lactantius quoque idem apud Varronem legisset. De L. Mallio, quem laudat Dionysius, cf. Kiessling, de Dionysii Halicarnasei antiquitatum auctoribus Latinis. Lips. 1858. p. 39.

[2]) Praeterea cf. de l. L. V, 71; Plin. II, 209.

[3]) Quod Dionysius dicit apud Poenos et Gallos victimas humanas immolari, haec quoque Varronis esse Augustinus testatur.

De c. Dei. VII, 19 (p. 297, 28 Dombart. = antiq. rer. div. l. XVI,

Digitized by Google

Sed haec quidem hactenus de iis, in quibus ipse Macrobius Varronem laudavit. Alia autem continentur eodem capite, quae, licet non citetur eius nomen, nihilominus ad eundem auctorem respiciunt.

In paragrapho vicesima prima sq. Ianum hospitio Saturnum excepisse primumque aera signasse legimus.

Macr. I, 7, 21. »*Hic igitur Ianus, cum Saturnum classe pervectum excepisset hospitio et ab eo edoctus peritiam ruris ferum illum et rudem ante fruges cognitas victum in melius redegisset, regni eum societate muneravit.*« Quibuscum conferas August. de c. D. VII, 4 (p. 279, 23 D. = fr. 8g Schwarz). »*De Iano quidem non mihi facile quicquam occurrit, quod ad probrum pertineat. Et fortasse talis fuerit, innocentius vixerit et a facinoribus flagitiisque remotius. Saturnum fugientem benignus excepit: cum hospite partitus est regnum, ut etiam civitates singulas conderent, iste Ianiculum, ille Saturniam.*«

Plut. Num. 19 [ed. Sintenis]. „*ὁ γὰρ Ἰανὸς ἐν τοῖς πάνυ παλαιοῖς εἴτε δαίμων εἴτε βασιλεὺς γενόμενος πολιτικὸς καὶ κοινωνικὸς ἐκ τοῦ θηριώδους καὶ ἀγρίου λέγεται μεταβαλεῖν τὴν διαίταν*".)

Tertull. apol. 10. (p. 155 Oehl.). »*Si quantum rerum argumenta, nusquam invenio fideliora quam apud ipsam Italiam, in qua Saturnus post multas expeditiones postque Attica hospitia consedit exceptus a Iano vel Iane, ut Salii volunt.*«[2]).

Praeterea cf. Tertull. ad nat. II, 12 (p. 119, 12); Lact. I, 13, 8; Minuc. 21, 5; Solin. 2, 5; Serv. Aen. VIII, 319; Ovid. fast. I, 233.

---

fr. 10 k. ed. Schwarz. [Fleckeis. Jbb. Suppl. 1888]). „*Deinde ideo dicit a quibusdam pueros ei* (Saturno) *solitos immolari, sicut a Poenis, et a quibusdam etiam maiores sicut a Gallis, quia omnium seminum optimum est genus humanum.*" Cf. Tertull. apolog. 9 (I, p. 144 sq. Oehl.). Pomp. Mela III, 18.

[1]) Cum Macrobii paragrapho 26 cf. comparation. Lycurgi et Numae 1. extr.: quamquam ea quidem tritiora esse non negaverim. Quare hunc consensum non nisi *ἐν παρέργῳ* addo.

[2]) Quo de capite cf. Schwarz. l. l. p. 429. De ratione, quae intercedit inter Minucium et Tertullianum, Wilhelmi sententia mihi magis probatur. [F. Wilhelm, de Min. Felic. Octav. et Tertull. apolog. Bresl. 1887.]

Digitized by Google

Aera primum a Iano signata esse, id quod Macrobius paragrapho vicesima altera narrat[1]). Tertullianus eo in capite, quod modo laudavi, e Varrone tradit.

Apolog. 10 (p. 156 Oehler = fr. 10 m. Schw.). »*Ab ipso primum tabulae et imagine signatus nummus, et inde aerario praesidet.*« Cf. Min. Fel. 21, 5 sqq.

De Iani imagine in nummis insculpta cf. praeterea Plutarch. q. R. 41. „*διὰ τί τὸ παλαιὸν νόμισμα πᾷ μὲν εἶχεν Ἰανοῦ δικπρόσωπον εἰκόνα, πᾷ δὲ πλοίου πρύμναν ἢ πρῴραν ἐγκεχαραγμένην; πότερον, ὡς οἱ πολλοὶ λέγουσιν, ἐπὶ τιμῇ Κρόνου πλοίῳ διαπεράσαντος εἰς Ἰταλίαν*“.[2]) [Cf. Ovid. fast. I, 229 sq.; schol. Pers. II, 59.]

Paragrapho vicesima quarta in Saturni honorem Saturniam vocitatam esse Italiam, paragrapho vicesima septima a Saturnio colle Herculis comites in Italia relictos Saturnios sese nominasse Macrobius refert.[3]) [Cf. Dionys. II, 1, 4]. Quae non minus quam cetera e Varrone translata esse hoc e loco cognoscimus.

Tertull. Apolog. 10 (p. 155). »*Mons, quem incoluerat, Saturnius dictus, civitas, quam depalaverat, Saturnia usque nunc est. Tota denique Italia post Oenotriam Saturnia cognominabatur.*«[4])

Eandem sententiam Verrius quoque amplexus est.

Fest. p. 322b, 24. »*Saturnia Italia et mons, qui nunc est Capitolinus, Saturnius appellabatur, quod in tutela Saturni esse*

---

[1]) „*Cum primus quoque aera signavit, servavit et in hoc Saturni reverentiam, ut, quoniam ille navi fuerat advectus, ex una quidem parte sui capitis effigies, ex altera vero navis exprimeretur, quo Saturni memoriam in posteros propagaret.*“

[2]) Sane hoc uno testimonio propter illud »*ὡς οἱ πολλοὶ λέγουσιν*« non tam multum probatur, sed imagine nummum signasse Ianum iam e Tertull. l. l. apparuit.

[3]) Dionys. I, 34, Ovidius fast. V, 650 sane aliam causam atque Macrobius proferunt, cur remanserint Herculis comites, sed cum cetera haec Macrobii consentiant cum Varronianis, complures causas Varronem adnotasse puto.

[4]) Cf. ad nat. II, 12 (p. 119, 15); Varro de l. L. V, 42; 45.

Digitized by Google

existimantur. Saturnii quoque dicebantur, qui castrum in imo clivo Capitolino incolebant.« [1])

Ad Macrobii verba »*observari igitur eum iussit* [Ianus] *maiestate religionis quasi vitae melioris auctorem*« (I, 7, 24) conferas ipsum Saturnalium auctorem I, 10, 19[2]).

»*hos deos* (Saturnum Opemque) *coli quasi vitae cultioris auctores.*«

Hunc autem Macrobii locum e Varrone repetitum esse eorum consensu dilucide demonstratur.

Cf. enim Macr. l. l. »*Hanc deam Opem Saturni coniugem crediderunt et ideo hoc mense Saturnalia itemque Opalia celebrari, quod Saturnus eiusque uxor tam frugum quam fructuum repertores*[3]*) esse credantur. Itaque omni iam fetu agrorum coacto ab hominibus hos deos coli quasi vitae cultioris auctores. Quos etiam nonnullis caelum ac terram esse persuasum esse Saturnumque a satu dictum, cuius causa de caelo est, et terram Opem, cuius ope humanae vitae alimenta quaeruntur, vel ab opere, per quod fructus frugesque nascuntur.*«

De l. L. V. 57 [ed. A. Spengel.]. »*Principes dei Caelum et Terra. — — — Idem principes in Latio Saturnus et Ops.*« Ib. V. 64. »*Qua re quod caelum principium, ab satu est dictus Saturnus, et quod ignis, Saturnalibus cerei superioribus mittuntur.*[4]*) Terra Ops, quod hic omne opus et hac opus ad vivendum; ideo dicitur Ops mater, quia terra mater.*« Cf. de l. L. VI, 22.

Falcem tenere Saturnum, messis insigne, item, ut Macrobius I, 7, 24, Varro posuerat.

Aug. de c. D. VII, 19 (p. 297, 21 D.). »*Falcem habet, inquit, propter agriculturam.*« Cf. Plut. q. R. 42.

---

[1]) De iis, quae sequuntur ibidem apud Festum, infra (p. 15) dicam.

[2]) Praeterea adde Dionysium I, 38, 1. »*οὐδὲν δὴ θαυμαστὸν ἦν τοὺς παλαιοὺς ἱερὰν ἐπολαβεῖν τοῦ Κρόνου τὴν χώραν ταύτην, τὸν μὲν δαίμονα τοῦτον οἰομένους εἶναι πάσης εὐδαιμονίας δοτῆρα καὶ πληρωτὴν ἀνθρώποις.*«

[3]) Haec verba plane eadem leguntur in eo capite, de quo agimus (I, 7, 25).

[4]) In antiquitatibus alia eius moris explicatio Varroni magis placuit. Cf. Macr. I, 7, 31.

Digitized by Google

Fest. p. 325 a, 8. »*is culturae agrorum praesidere videtur, quo etiam falx est ei insigne.*«[1])

Id. 186, b. 19. »*Opima spolia dicuntur originem quidem trahentia ab Ope Saturni uxore, quod ipse agrorum cultor habetur, nominatus a satu tenensque falcem effingitur, quae est insigne agricolae. Itaque illa quoque cognominatur Consiva et esse existimatur terra. Ideoque in Regia colitur a populo R., quia omnes opes humano generi terra tribuat.*« Quae a Varrone Verrium mutuatum esse inde perspicitur, quod conspirat cum illo et in Saturni notatione (de l. L. V, 64) et in falcis causa explicanda[2]). De sacro in Regia cf. de l. L. VI, 21.

Paragrapho vicesima quinta Stercutum[3]) vocari Saturnum Macrobius commemoravit. Atque id quoque ad Varronem revocandum esse comprobatur ab Augustino. De c. D. 18, 15 (p. 275, 22 D.). »*Qualibet autem ex causa eum Saturnum appellare voluerint*[4]), *certe tamen hunc Stercen sive Stercutium*[5]) *merito agriculturae fecerunt deum.*« (= Varro de gente p. R. II, fr. 22 Kettner).

Vidimus fere omnia, quae in hoc Macrobii capite leguntur de Saturno Ianoque, colorem habere Varronis, etsi non ex illo ipso hausta sunt. Leguntur autem ibi haec quoque (I, 7, 20), quibus iam reducimur ad id, unde profecti sumus, scil. ad

[1]) Quod eo loco Saliorum carmina citantur a Festo, commemorandum est de Iano quoque Varronem illa laudasse. Cf. Schwarz. l. l. p. 429,3.

[2]) Aliam contra eiusdem rei explicationem Macrob. I, 8, 9 proposuit.

[3]) Sic scribendum videtur. Cf. Jordan. ap. Preller. myth. Rom. II, 12, adn.

[4]) Alibi Stercutium diversum esse a Saturno legimus apud Varronis quoque expilatores. Lact. I, 20, 36. Tertull. ad nat. II, 9 (p. 112, 26). Sed adnotasse Varronem eundem putari utrumque deum Augustinus l. l. testatur.

[5]) Quod Augustinus Stercutium, Macrobius Stercutum vocat illum deum, eo non efficitur alium auctorem ab altero exprimi, nam „*Stercutus*“ Lactantius quoque l. l. exhibet. Ceterum non una forma illius nominis Varronem usum esse Serv. ad Ge. I, 21 docet, quo loco Sterculinium ille deum vocavit. „*Stercutius*“ praeter Augustinum apud Servii interpolatorem occurrit ad Aen. X, 76, ubi verba, quae praecedunt, ab ipso Varroni tribuuntur.

Digitized by Google

Varronis de Carmentibus sententiam.[1]) »*Post ad Ianum solum regnum redactum est, qui creditur geminam faciem praetulisse, ut quae ante quaeque post tergum essent, intueretur: quod procul dubio ad prudentiam regis sollertiamque referendum est, qui et praeterita nosset et futura prospiceret, sicut Antevorta et Postvorta, divinitatis scilicet aptissimae comites, apud Romanos coluntur.*«

Atque cum e Varrone totum illud caput pendere iam nobis persuaserimus, veri non dissimile est ea quoque eidem auctori tribuenda esse. Tamen cum fieri potuerit, ut haec adderentur ab ipso Macrobio sive ab eo, qui medius intercessit inter illum et Varronem, ne temere ageremus, ea Varroni vindicare non liceret, nisi — etsi ipsa res non legitur apud ceteros scriptores Varronianos — vestigio quodam appareret eam quoque sententiam non alienam fuisse a Varrone, quamquam aliam eum praeposuisse e Gellio comperimus. Nam cum Augustinus de c. D. IV, 11 (p. 161, 4) locutus sit de »*illis deabus, quae fata nascentibus canunt et vocantur Carmentes*«, Varroni non ignotum fuisse Carmentes deas futura vaticinantes putari in aperto est. Itaque Macrobii quoque locum, ubi Carmentes[2]) — quamquam id nomen ibi deest, sed singula dearum nomina commemorantur — sicut Ianum nosse et futura et praeterita tradit, Varroni restituamus. Quod si facimus, infringitur sententia Marquardtii, qui haec pronuntiavit (Röm. Staatsverwaltg. III, 12, 2):

»*Es gab indessen noch eine andere Erklärung dieser Namen, nach welcher die Porrima oder Antevorta und Postvorta*

[1]) Quod Hyginus laudatur a Macrobio in iis, quae praecedunt (7, 19), eo minime improbatur sententia, quam posui. Nam Hyginum ipsum Varronis vestigia saepe premere satis constat. Cf. infra p. 10.

[2]) Quod altera Carmentis apud Gellium Prorsa, apud Macrobium Antevorta, apud Ovidium Porrima vocatur, eo non redarguitur sententia nostra. Nam certe Varro pro consuetudine sua omnia, quae sibi innotuissent, Carmentium nomina contulit posteriorumque scriptorum alius aliud exscripsit. Forma „*Antevorta*“ (— ⏑ — ⏑) ne per metri quidem rationem Ovidio uti licuit.

Digitized by Google

Schicksalsgöttinnen sein sollen, welche in die Vergangenheit und in die Zukunft schauen. Diese Auffassung scheint dem Varro unbekannt gewesen zu sein.‹

Macrobii capitis doctrina rer. hum. antiquitatibus maxime convenire mihi videtur, ubi Romanorum origines Varro enarraverat (l. II ?). Cf. Mirsch. l. l. p. 31 sqq.

Multa autem harum rerum et in rerum divinarum antiquitatibus illum repetiisse e patrum l. l. l. l. facile intellegitur.

Praeterea haec adiecerim. Citatur a Macrobio I, 7, 19 Hyginus: itaque per hunc Varroniana ad illum pervenerunt. In capite decimo autem nonnihil inesse de isdem rebus, quod ipsum quoque Varronis auctoritatem referat, supra (p. 7) monui. Atque in eo capite laudatur Philochorus (10, 22). Invenit igitur Macrobius in fonte suo sententias Hygini, Varronis, Philochori. Non indignum est, quod verbo tangam, tres illos scriptores coniunctos legi apud Servii quoque interpolatorem et in ea re, quae cohaeret quodammodo cum Macrobii capite. Agitur enim eo loco de Pelasgorum in Italiam adventu.

Digitized by Google

II.

Servius ad Aen. III, 407. »*Diomeden, qui cum multis casibus adfligeretur, Palladium, quod apud ipsum erat, Troianis oraculo iussus est reddere. Quod cum vellet implere, Aeneam invenit sacrificantem: qui, ut supra* (II, 166) *diximus, sacrificii ordinem non rupit, et Palladium Nautes accepit: unde Nautarum familia Minervae sacra servabat. Sane sciendum sacrificantes diis omnibus caput velare consuetos ob hoc, ne se inter religionem aliquid vagis offerret obtutibus, excepto tantum Saturno, ne numinis imitatio esse videretur.*«

Verba »*Diomeden — servabat*« e Varrone hausta esse apparet coll. Serv. II, 166. »*hoc* (Palladium) *cum postea Diomedes haberet: quod et Vergilius ex parte tangit et Varro plenissime dicit: credens sibi non esse aptum, propter sua pericula, [quibus nunquam cariturum responsis cognoverat, nisi Troianis Palladium reddidisset]*[1]*, transeunti [per Calabriam] Aeneae offerre conatus est. Sed cum se ille velato capite sacrificans convertisset, Nautes quidam accepit simulacrum: unde Minervae sacra non Iulia gens habuit, sed Nautiorum.*«

Eodem autem e fonte profectam esse Plutarchi quaestionem Romanam decimam[2]), id quod Thilo statuerat[3]), Glaesse-

---

[1]) Interpolatoris verba uncinis [ ] inclusi.

[2]) „*εἰ μὲν οὖν ὁ περὶ Αἰνείου λεγόμενος λόγος ἀληθής ἐστιν, ὅτι τοῦ Διομήδους παρεξιόντος ἐπικαλυψάμενος τὴν θυσίαν ἐτετέλεσε, λόγον ἔχει καὶ ἀκολουθεῖ τῷ συγκαλύπτεσθαι πρὸς τοὺς πολεμίους τὸ τοῖς φίλοις καὶ ἀγαθοῖς ἐντυγχάνοντας ἀποκαλύπτεσθαι.*“

[3]) Thilo, de Varrone Plutarchi quaest. Rom. auctore praecipuo. Bonnae. 1853. p. 15.

Digitized by Google

rus (de Varronianae doctrinae apud Plutarchum vestigiis. Stud. Lips. IV, 1881) p. 164 negavit. Dicit enim Servii verba »*sed cum se ille velato capite sacrificans convertisset*« recto talo stare non posse, cum neque per se idoneam sententiam praebeant et contra alterum Servii locum pugnent: »*an Aeneas, si in medio sacrificio adversus hostem adeuntem caput velasset, non accepisset malum omen, sacrificandi ordinem non rupisset?*« (p. 165.)

Itaque inserendam censet particulam »*non*«, ita, ut scribamus: »*cum se ille velato capite sacrificans non convertisset.*« Putavit autem Glaesserus Plutarchum — ac similiter Gavium Bassum[1]) (apud Macrob. III, 6, 17) et Dionys. XII, 16, 22 — narrare morem velato capite sacrificandi ipsa illa occasione inventum et postea a Romanis acceptum esse. Varronem contra negare Aeneam se ad Diomedem convertisse, quia Heleni vaticinio obsecutus velato capite sacrificaret[2]).

Sed licet Varro mentionem fecerit Heleni in antiquitatibus (Dionys. I, 51, 1: Serv. III, 334), hac in re illius partes certe Vergilio debentur: neque enim e Varrone de Heleno illius moris auctore quidquam Servius profert l. l. neque alius quisquam praeter unum Vergilium.

Praeterea Glaesserus erravit, cum Aeneam, etsi capite ve-

---

[1]) Gavius Bassus omnino Varroni artissime se adplicavit. Cf. Macrob. III, 18, 3 et I, 9, 13. Utroque enim loco Varroniana illius nomine traduntur. Conferas cum hoc loco Aug. de c. D. VII, 8, cum illo de l. L. V, 102.

[2]) Maxime eo adductus esse Glaesserus videtur, ut secundum Varronem non ipsum Aeneam invenisse illum morem putaret, quod Graecum esse capite operto sacrificandi ritum illum apud Macr. III, 6, 17 tradidisse falso sibi persuasit (p. 168). Varronis enim verba a Macrobio servata „*Graecum hunc esse morem*“ non ad ritum velato, sed aperto capite sacrificandi pertinent.

Macr. III, 6, 17. „*Custoditur in eodem loco* (apud aram Maximam) *ut omnes aperto capite sacra faciant. Hoc fit ne quis in aede dei habitum eius imitetur, nam ipse* (Hercules) *ibi operto est capite. Varro ait Graecum hunc esse morem* (scil. apud aram Maximam aperto capite sacrificandi), *quia sive ipse sive qui ab eo relicti aram Maximam statuerunt, Graeco ritu sacrificaverunt.*“ Cf. de l. L. V, 130. „*Romano ritu sacrificium feminae cum faciunt, capita velant.*“

Digitized by Google

lato ominis, i. e. hostis adeuntis, aspectum vitasset, nihilominus malum omen accepturum fuisse statuit, immo nihil omina valebant, nisi ille ipse, qui ea vidit, accepit et ad se pertinere probavit.[1])

Hae igitur Glaesseri rationes cum concidere mihi videantur, etiam alio modo probari potest minime coniectura opus esse in Servii verbis, sed aptissime dictum esse illud »*se convertisset.*« Plane enim idem significari iis verbis equidem puto atque Plutarchi verbis „ἐπικαλυψάμενος τὴν θυσίαν ἐπετέλεσε“, i. e. capite velato eam sacrificii partem, quae restabat, perfecit, scil. se convertit. Eo enim opus fuisse in sacris constat [Marquardt-Wissowa III, 179, 7] atque illud ipsum verbum »*convertere*«, quo utitur Varro, sive »*circumvertere*« vox sollemnis videtur fuisse.

Cf. Serv. interpol. Aen. IV, 62. »*quidam genus sacrificii appellant, quo veteres cum aras circumirent et rursus se converterent et deinde consisterent, dicebant minusculum sacrum.*«

Liv. V, 21, 15 sq. „[Camillus] *dicitur manus ad caelum tollens precatus esse, ut, si cui deorum hominumque nimia sua fortuna populique Romani videretur, ut eam invidiam lenire quam minimo suo privato incommodo publicoque populi Romani liceret. Convertentem se inter hanc venerationem traditur memoriae prolapsum cecidisse.*«

Suet. Vitell. 2. »*primus C. Caesarem adorare ut deum instituit, cum reversus ex Syria non aliter adire ausus esset quam capite velato circumvertensque se, deinde procumbens.*«

Miror autem Glaesserum non animadvertisse apud Dionysium quoque, quem congruere cum Plutarcho, dissentire a Servio censuit (p. 166), convertendi mentionem fieri.

Dionys. (Excerpt.) XII, 16, 22. „*Αἰνείαν λέγουσι τὸν ἐξ Ἀγχίσου καὶ Ἀφροδίτης, ὅτε κατέσχεν εἰς Ἰταλίαν, θῦσαι προαιρούμενον ὅτῳ δή τινι θεῶν, μετὰ τὴν εὐχὴν μέλλοντα τοῦ παρεσκευασμένου πρὸς τὴν θυσίαν ἱερείου κατάρχεσθαι, τῶν Ἀχαιῶν ἰδεῖν τινα*

[1]) Cf. Serv. Aen. V, 530.

Digitized by Google

πρόσωθεν ἐρχόμενον. εἴτε Ὀδυσσέα, ὅτε τῷ περὶ τὸν Ἄορνον μαντείῳ χρῆσθαι ἔμελλεν, εἴτε Διομήδην, ἡνίκα Δαύνῳ σύμμαχος ἀφίκετο· ἀχθόμενον δὲ τῷ συγκυρήματι καὶ πολεμίαν ὄψιν ἐφ' ἱεροῖς φανεῖσαν ὡς πονηρὸν οἰωνὸν ἀφοσιώσασθαι βουλόμενον ἐγκαλύψασθαί τε καὶ στραφῆναι" etq. s. Ibi enim convertendi ritum a Dionysio significari voce *στραφῆναι* ex ipsius verbis elucet, quae ibidem leguntur in paragrapho vicesima tertia.

„*ἑπόμενος δὴ τοῖς πατρικοῖς ὁ Κάμιλλος νόμοις, ἐπειδὴ τὴν εὐχὴν ἐποιήσατο καὶ κατὰ τῆς κεφαλῆς εἵλκυσε τὸ ἱμάτιον, ἐβούλετο μὲν στραφῆναι*" etq. s. Ubi ad eandem rem Dionysius spectat atque Livius l. l. et Plutarchus (Camill. 5)[1]), scil. in convertendo lapsum esse Camillum. Dionysius igitur Graece interpretatus est *στραφῆναι* Latinam vocem »*convertere*«. Qua re altero quoque loco eum, cum scripsit *στραφῆναι* Aeneam, convertisse se illum in fonte suo legisse satis demonstratur.

In ceteris omnibus cum consentiant Servius (i. e. Varro) et Dionysius, ea una re discrepant, quod hic Ulixis nomen adiecit. Ac facile quis coniciat non iam sequi, ut ex alio fonte atque e Varrone Dionysius sua sumpserit aut id aliunde petitum addiderit Varronianis, cum veri simile sit illum, ut fere semper, non uno modo rem narrasse. Tamen hac in re summa opus est cautione, nam certe ea quidem via omnia, quaecunque traduntur de Romanorum rebus, ad Varronem referri possunt, quamvis dissentiant ab eius sententia alibi servata. Eiusmodi autem temeritas cum maxime vitanda sit in eruendis illius fragmentis, ne nimium probaturi nihil probemus, tum demum Ulixem quoque praeter Diomedem commemoratum fuisse a Varrone asseverare licebit, cum idem ex alio quodam scriptore attulerimus, a quo illum saepius expilari constat.

Et feliciter accidit, ut illud apud Festum inveniatur eoque loco, qui Varronianum colorem luculenter referat.

Fest. p. 322 b, 30[2]). »*ubi* (in clivo Capitolino) *ara dicata ei*

---

[1]) „*ταῦτ' εἰπὼν, καθάπερ ἐστὶ Ῥωμαίοις ἔθος ἐπευξαμένοις καὶ προσκυνήσασιν ἐπὶ δεξιὰ ἐξελίττειν, ἐσφάλη περιστρεφόμενος.*"

[2]) Priorem eius loci partem supra (p. 6) exscripsi.

Digitized by Google

deo (Saturno) *ante bellum Troianum videtur, quia apud eam supplicant apertis capitibus. Nam Italici auctore Aenea velant capita, quod is, cum rem divinam faceret in litore Laurentis agri Veneri matri, ne ab Ulixe cognitus interrumperet sacrificium, caput adoperuit atque ita conspectum hostis evitavit.*«

Quae e Varrone prodiisse ex ipsius Varronis, Dionysii, Plutarchi, Macrobii, Tertulliani consensu colligo. Cf. praeter locos supra (p. 6 et adn. 3, 4) collatos Plut. q. R. 11.

Iam haec intelleximus: Servii verba (II, 166) corrupta non sunt planeque concinunt cum Plutarcho et Dionysio. Inde autem, quod Vergilius illo loco, ad quem Varronem exscripsit scholiastes, Helenum induxerit, concludi non potest Varronem quoque ei illum ritum tribuisse, immo Servius, sicut ceteri, ipsa illa occasione morem velato capite sacrificandi inventum esse ab Aenea videtur narrare.

Quae cum ita sint, Plutarchi[1]) ac Dionysii relationem ad eundem atque Servii auctorem, i. e. ad Varronem, redire satis perspicuum est. Itemque, Plutarchi[2]) Serviique consensu nisus, ultima huius verba (III, 407) »*sane — videretur*« ipsa quoque Thilonem secutus eidem scriptori adiudico.[3]) Nec minus hunc eundem ad auctorem pertinet Servii interpol. Aen. III, 407[4]),

---

[1]) Quod Glaesserus p. 168 non neglegendum esse arbitratur „*quod Plutarchus, quamvis ipsis in Aetiis Romanos mores cum Graecis comparare et ex iis derivare studeat, id quod Varro apud Macrobium docet, Graecum esse capite operto sacrificandi ritum, omnino non commemorat*“, eam rationem supra (p. 12, 2) refutavimus.

Castorem, cuius sententiae Plutarchus meminit, a Varrone citatum fuisse atque ab hoc eius nomen illum (per Iubam) accepisse Barthius p. 31 coll. Aug. 21, 8 probabiliter coniecit.

[2]) Plut. q. R. 10. „*ἢ μᾶλλον εὐλαβούμενοί τινα φωνὴν προσπεσεῖν αὐτοῖς ἔξωθεν εὐχομένοις ἀπαίσιον καὶ δύσφημον ἄχρι τῶν ὤτων ἀνελάμβανον τὸ ἱμάτιον.*“

[3]) Glaesserus l. l., quamquam posse ea Varronis esse non negavit, tamen huius e libris totam Servii adnotationem ad III, 407 profluxisse, pro certo contendere dubitavit.

[4]) Linkius (de Macrobii Saturnal. font. [Vratisl. 1880] p. 22) e Macrobio ea petita esse opinatur. Servii autem interpolator utrum omnino adhibuerit Macrobium an ad fontium communionem ubique referendus sit eorum

Digitized by Google

VIII, 288. Cf. Macrob. III, 6, 17. Quodsi Servius III, 407 dicit Saturno aperto capite sacrificari, »*ne numinis imitatio esse videretur*«, eam quidem rationem ceteri Varronis compilatores ad Herculis sacrum revocant. De Saturni sacrificio aliam causam edunt eandemque, quam de Hercule quoque illum adnotasse interpolator Servii testatur.[1]) Cf. Fest. l. l., Plut. q. R. 11, Macr. I, 8, 2.[2]) Sed ne Servium confudisse credamus, quae de Herculis et de Saturni sacro invenerat apud Varronem, eo impedimur, quod re vera Saturnum quoque obvoluto capite veteres finxisse scimus. Cf. Eckhel, doctrina nummorum VII, 381. Qua re ad utriusque dei sacrum utramque causam Varronem rettulisse eorumque, qui eius libros compilarunt, alium aliud excerpsisse veri similius est.

Quodsi quaerimus, quo ex opere Varronis haec arcessita sint, fabulam de Diomede atque Aenea in libro de familiis Troianis narratam fuisse Servius ad Aen. V, 704 auctor est: »*ipse* (Nautes) *Romam Palladium detulit: unde Nautiorum familia Minervae sacra retinebat: quod etiam Varro docet in libris, quos de familiis Troianis scripsit.*«

De ritu capitis in sacrificio velandi, quem strinxit in illo libro, pluribus certe dixit in antiquitatum rerum divinarum libro XIII (de sacris publicis).

Occasione data de duobus aliis Servii locis pauca dicere

---

concentus, dissentiunt viri docti. Illud Linkio l. l. p. 18 et Wissowae (de Saturnalium fontibus. Vratislav. 1880. p. 55), hoc Thiloni placuit, cuius iudicio Klotzius quoque calculum adiecit. Cf. Thilo, quaest. Serv. Hal. 1867. p. 16; prolegg. ad Servium p. XXV. Halfpap-Klotz, quaest. Servianae. Gryphiswald. 1882. p. 4 sq. Mihi Thilonis et Klotzii sententia probabilior videtur, quoniam nonnullis quidem locis, ubi plura habet interpolator quam Macrobius, illum non hunc, sed communem fontem adiisse manifestum est. Quod in hunc quoque locum cadit, de quo agimus. Nam apud Macrobium nihil legitur de Iano et Euandro, quorum mentionem intulit interpolator. Cf. Klotz. l. l. p. 24.

[1]) Scil. quod ante Aeneae adventum constituta esset dei ara.

[2]) Haec enim Macrobii propter consensum cum Plutarcho et Festo Varroniana putanda sunt, praesertim cum paulo ante antiquitates a Macrobio laudentur.

Digitized by Google

liceat, qui ipsi quoque e libris de familiis Troianis hausti esse mihi videntur.

Serv. IV, 427. »*sciendum sane Varronem dicere Diomedem eruta Anchisae ossa filio reddidisse.*«

Serv. V, 81. »*a Diomede, qui dicitur ossa eius* (Anchisae) *cum Palladio reddidisse.*«

Krahnerus[1]) p. 16 hos Servii locos e rerum humanarum antiquitatibus translatos esse putavit. Sed artissime cohaerent haec Serviana cum iis, quae ad II, 166 et III, 407 de Palladio a Diomede Troianis reddito scholiastes e libris de familiis Troianis exscripsit, ita, ut quin ex eodem Varronis opere haec et illa Servius sumpserit, dubitari vix possit. Qua re reiecta Krahneri sententia ea quoque, quae ad Aen. IV, 427 et V, 81 ille exhibet, ad libros de familiis Troianis equidem refero.[2])

[1]) Krahner, de Varronis antiquitatum rerum humanarum et divinarum libris XLI. Halis. 1834.

[2]) Praeterea cf. Georgium Wissowa in Hermae vol. 22, p. 43: qui comparans Dionysium Halicarnassensem aliter in antiquitatibus Varronem hanc rem narrasse non sine quadam probabilitate coniecit.

Digitized by Google

III.

Vergilii Aen. libri VIII. v. 84 Servius hisce commentatus est: »*dicunt theologi ipsam* (Iunonem) *esse matrem deum, quae terra dicitur; unde etiam* [*et*] *porca ei sacrificatur.*« Quorum priorem partem (Iunonem eandem esse atque terram) e Varronianae doctrinae copiis desumptam esse coll. de l. L. V, 67[1]) satis liquet.

Voce autem »*theologi*« tecte, ni fallor, rerum divinarum antiquitates indicantur. Ac Varronem his quoque in libris commemorasse eandem esse utramque deam — id quod ipsa re veri simile est — testimoniis comprobatur.

Aug. de c. D. VII, 16 (p. 294, 33 Domb.). »*Iuno secundarum causarum domina et Iuno aër et Iuno terra.*« Cf. VII, 28 (p. 311, 13 D.); IV, 10 (p. 158, 26 D.). Macrob. III, 4, 8. Serv. interpol. Aen. II, 296.[2])

---

[1]) „*Quod Iovis Iuno coniunx et is caelum, haec Terra, quae eadem Tellus.*“

[2]) Hos locos itemque Arnob. III, 40 (138, 18 R.) e Varrone fluxisse Wissowa (Hermes XXII, 51) recte coniecit. Atque causis a viro doctissimo prolatis hanc addere licet. Affirmant Arnobius, Macrobius, Servii interpolator l. l. l. l. eosdem esse penates deosque Capitolinos. Servii autem interpolator cum focos sacrari tribus illis numinibus e Varronis rerum divinarum antiquitatibus ad Aen. III, 134 ascripserit, ad XI, 211 eundem secutus focum esse deorum penatium aram contendit. Eosdem igitur Varronem putasse penates deosque Capitolinos in promptu est.

I. III, 134. „*Quidam „focos“ lares et per hoc domicilia tradunt. Ergo „focos“ pro „penates“ posuit. At e contrario penates pro focis, ut* (I, 707) *„flammis adolere penates.“ Sane Varro rerum divinarum refert inter sacratas aras focos quoque sacrari solere, ut in Capitolio Iovi, Iunoni, Minervae.*“

I. XI, 211. „*Adnotandum sane, quod „focos“ dixerit pyras, cum focus ara sit deorum penatium. An quod focum dicat, ubicumque ignis est et foveatur: unde et Varro focum dici vult.*“

Digitized by Google

Praeterea ea quoque, quae addidit Servius l. l. (Iunonem matrem deum esse), in rerum divinarum libris locum habuisse Augustinus nos certiores facit.

De c. D. IV, 10 (p. 158, 26). »*Si caelum est ille* (Iuppiter) *et illa* (Iuno) *terra.* — — — *Eandem terram etiam matrem deorum vocant.*« Cf. VI, 8; VII, 24.[1]) Ac ne ea quidem, quae sequuntur apud Servium de porca Iunoni immolata, non ex eodem auctore hausta sunt. Nam cum idem exstat apud Servium VIII, 43[2]), adicitur simili de causa Libero caprum caedi.[3]) Cf. I. VIII, 343. Atque id quidem Varronem narrasse a Diomede discimus (III, 487 = Sueton. ed. Reiff. p. 6).

»*Tragoedia, ut quidam, a τράγῳ et ᾠδῇ dicta est, quoniam olim auctoribus tragicis τράγος, i. e. hircus, praemium cantus proponebatur, quia Liberalibus die festo Libero patri ob hoc ipsum immolabatur, quia, ut Varro ait, depascunt vitem.*«

Is autem, qui Iunoni porcam sacrificari posuit, cum terrae vice coleretur, facere non potuit, quin porcam hostiam esse Telluris propriam adnotaret. Id vero Festus exhibet: itaque,

---

Sane Varro apud interpolatorem XI, 211 non nisi in extrema adnotatione laudatur, sed profecto ea quoque, quae praecedunt, ex eodem scriptore translata sunt. Nam coniunctos fuisse illo Varronis loco penates et deos Capitolinos vel eo probatur, quod interpolator III, 134, postquam penates pro focis dici a Vergilio monuit, Varronem exscripsit de dis Capitolinis.

[1]) Similia e Cornelio Labeone Macrobius I, 12, 20 sqq. excerpsit: qui Maiae sive Magnae Matri, quod terra esset, suem praegnantem mactari candemque Iunonis potentiam habere credi prodidit. *„Eandem alii Proserpinam credunt porcaque ei rem divinam fieri, quia segetem, quam Ceres mortalibus tribuit, porca depasta est.“* (I, 12, 23). Apparet Labeonem quoque in his Varronem sequi. Cf. praeterea Arnobium, adversus nationes VII, 22.

[2]) *„quam* (porcam) *ideo Aeneas immolavit Iunoni, quia ipsa dicitur terra. — — — Scimus autem hoc animal inimicum esse frugibus, ut caprum vitibus, qui Libero immolatur.“* Ea, quae praecedunt ibidem, ipsa quoque Varronianae originis sunt. Cf. de l. L. V, 144; de r. r. II, 4, 18. Interp. III, 392. Serv. III, 390. Dion. I, 56. Krahner p. 16.

[3]) Idem sacrum et in libro de r. r. I, 2, 19 Varro tangit. Ubi cum Iunonis sacrificii mentio desideretur, ad eum librum Servii scholion redire non potest.

Digitized by Google

cum causa eius sacrificii ab illo prolata plane consentiat cum Serviana (VIII, 43), quam e Varrone sumptam esse vidimus, Festi quoque locus eidem videtur vindicandus.

Fest. p. 238a. 28. »*Plena sue Tellu[ri sacrificabatur, quod pecudis] id genus censeretur* (coni. Urs., codd.: *cum seretur) [satis inimicum, quia rostro sem]en fodiendo corrumperet.*«[1])

Vidimus igitur Varronem narrasse terrae numinibus porcam, Libero caprum immolari, quod ea animalia obessent frugibus vitibusque.

Idem autem legimus apud Servium ad Georg. II, 380[2]) et Aen. III, 118, ubi de causis, quibus singulae victimae singulis diis immolentur, paulo uberius agitur: quos locos e Varrone fluxisse iam Schmekelius l. l. p. 30 ex illius de r. r. I, 2, 18 recte collegit.

Restat, ut dicamus, cui libro tribuendi sint omnes hi loci, quos Varroni vindicavimus. Ac rerum divinarum libris ea deberi iam supra (p. 18) statuimus. Certe autem Varro uberrime dixit de omnibus his rebus, quae pertinent ad sacrificii ritum, in illius operis libro XI. Cf. fragmentum huius libri apud Non. p. 220, 22 servatum.[3])

[1]) Cf. Ovid. fast. I, 672, I, 349, IV, 633. Metamorph. XV, 111 sqq. Macrob. l. supra (p. 19, 1) l. — Schmekel, de Ovidiana Pythagoreae doctrinae adumbratione. Gryphiswald. 1885, p. 26 sqq.

[2]) Interpolator in iis, quae adiecit ibidem ad Servii commentarium, ille ipse quoque Varronem expressit. »*Quia vites, quae in honore ipsius fuerant, ab eo comestae sunt, iratus Liber pater eum occidi fecit et ei tolli utrem, in quo mitti vinum fecit pro eius vindicta.*« Cf. genuinum Servium ad Ge. II, 384.

[3]) Iunonem eandem esse atque Tellurem quin Varro praeterea in libro XVI exposuerit, dubitari nequit. Iunonis sacri habuit mentionem et in rerum humanarum antiquitatum eo libro, qui erat de diebus. Ibi enim Kalendis porcam vel agnam Iunoni — scil. Lucinae — sacrificari Varro tradidit (Macrob. I, 15, 19). Quod non pugnare contra Servii testimonium (Iunoni, quod sit terra, porcam caedi) e libro de l. L. V, 69 cognoscimus. „*Iuno Lucina dicta vel quod est e terra, ut physici dicunt, et lucet.*“

Digitized by Google

IV.

Solini rerum memorabilium collectanea cum maxima ex parte e Plinii historiae naturalis libris compilata sint, alia, etsi non permulta, illis inserta sunt, quae doctrinam minime contemnendam referunt. Illum enim rivulum turbidum quidem et exilem tamen derivari ex vasto flumine doctrinae aetatis Augustae versarique nos hic in media eruditione Varroniana Verrianaque Theodorus Mommsenus (praef. ad Solin. p. XVI) rectissime posuit. Difficillima autem quaestio videtur, utrum per Verrium tantum Varroniana pervenerint ad Solinum an ipsum Varronem adhibuerit is, qui Solini fontem conscripsit. Nam cum Verrius plurima Varroniana sibi asciverit, is qui Varronem aditum esse ab isto compilatore sibi persuaserit, ea, quae, cum inter ipsius Varronis fragmenta servata non sint, apud Festum Paulumve leguntur, ex illius libris translata esse a Verrio facile coniciet. Contra is, qui Verrii quam Varronis scrinia a Solini fontis auctore expilata esse maluerit, si quae ex huius operibus aetatem tulerunt, apud illum desiderantur, a Verrio quoque ea commemorata fuisse iacturamque earum rerum epitomatoribus deberi haud difficili negotio contendet. Neque hanc neque illam sententiam habeo quibus refutem, nec magis tertia, quae alicui placuerit, (ab utroque illum sua mutuatum esse) idoneis argumentis aut demonstrari aut improbari potest.[1]) Itaque ne con-

[1]) Hac igitur ratione — collatis singulis Varronis, Verrii, Solini locis — cum nihil fere lucremur, plus fortasse alia via proficiemus. Dicam »quid putem, non quid contendam.« Omnes huius modi compilatores, cum auctorem ab ipsis exscriptum taceant, quam maximam doctrinae speciem

Digitized by Google

iectandi libidini nimis indulgeam, in eo acquiesco, ut, quae ad Varronem tanquam auctorum auctorem — Mommseni (p. XXIX) verbis utor — redeant, exponam Verriique locos adnotem et eos, qui concinunt cum Solino, et eos, qui discrepant ab illo, in dubio relinquens, singulane e Varrone per Verrium in Solini librum redundarint. Nec vero de omnibus eius additamentis dicere in animo habeo, sed non nisi in ea inquiram, quae de Roma urbe ille operi suo praemisit.

Primi capitis paragrapho prima, secunda, tertia tres de urbis origine sententiae proponuntur. Quae omnes obviae sunt apud Festum p. 266/69. Prima atque altera explicatio praeterea exstat apud Servii interpolatorem ad Aen. I, 273, alteram ac tertiam Plutarchus quoque in Romuli cap. primo et secundo protulit. Omnes autem hae Graecorum de Romae origine fabulae quin per Varronem ad posteriores scriptores propagatae sint, nemo, quantum scio, post Kiesslingii dissertationem (p. 42) dubitat.

Paragraphus quarta, quinta, sexta e Plinio (III, 65) exscriptae sunt.

Paragrapho septima sqq. Solinus uberius enarravit Herculis in Italiam adventum. Ac primum quidem punito Caco Herculem Iovi Inventori eo loco, ubi postea porta Trigemina esset, aram dedicasse ibi legimus.

Quae optime consentiunt cum Dionys. I, 39, 4. »*ἁγνίσας δὲ τῷ ποταμῷ τὸν φόνον ἱδρύεται πλησίον τοῦ τόπου Διὸς Εὑρεσίου βωμὸν, ὅς ἐστι τῆς Ῥώμης παρὰ τῇ Τριδύμῳ πύλῃ.*«

---

libris suis induere cupientes eos omnes scriptores laudant, quos collectos invenerunt in fontibus suis. Citatur autem a Solino M. Terentius Varro, non citatur Verrius Flaccus. Itaque cum non videamus, cur Verrii, doctissimi grammatici, auctoritate librum suum exornare noluerit — id eo explicandum esse, quod ipsum Verrium ille inspexerit, nemo credet — eum ne in fonte quidem compilatoris citatum atque expressum fuisse veri simile mihi videtur. Qua re ad Varronem potius quam ad Verrium ea rettulerim, quae aut ex hoc aut ex illo profecta esse patet, et ea quoque, quae Verrianorum similia leguntur apud Solinum, non e Verrio, sed e Verrii fonte, i. e. e Varrone, accita esse putaverim.

Digitized by Google

Qui consensus eo gravior videtur, quod nec Livius neque alius quisquam arae illius ad portam Trigeminam conditae meminit.[1])

Dionysium autem in his rebus e Varrone plerumque pendere Kiesslingius p. 39 suo iure sibi persuasit. Artissime enim haec cohaerent cum iis, quae de Euandro Carmentaque narravit. Qua re aut utramque aut neutram narrationem e Varrone eum sumpsisse statuendum est. De Carmenta autem illius memoriam Dionysium secutum esse iam supra perspeximus (p. 2). Quod cum ita sit, ea, quae de Hercule rettulit, eidem auctori vindicare nullus dubito, praesertim cum iam supra (p. 4) cum Varrone in capite tricesimo octavo eum conspirare animadverterimus.

Ac postquam illi Dionysium hac in narratione sese addixisse nobis persuasimus, Solini quoque verba supra laudata ex eodem manasse in propatulo est.

Quae sequuntur paragrapho octava sq., ea Gelliana esse ipse Solinus profitetur. His igitur praetermissis[2]), decima paragraphus unde profecta sit, iam quaeramus.

»*Suo quoque numini idem Hercules instituit aram, quae maxima apud pontifices habetur, cum se ex Nicostrate, Euandri matre, quae a vaticinio Carmentis dicta est, immortalem comperisset.*«

Atque haec quidem pugnant cum Dionysio. Nam cum secundum Solinum ipse Hercules aram sibi instituerit, ab

[1]) Auctor de origine g. R. c. 6 narrationem exhibet, quae Verrianam doctrinam (l. VIII, 203) quodammodo redolet. Dicit autem ille aram Maximam ab Hercule dedicatam esse patri Inventori. Qua e re si quis Verrium commemorasse illam aram, quam dicunt Solinus et Dionysius, falsariumque abusum esse Verrianis coniecerit, equidem non adversabor. Sed primarium quem vocant fontem Varronem fuisse Dionysius satis docet.

[2]) Cn. Gellii doctrinam Varronem non aspernatum esse IX. dissertationis capite demonstrabo. Qua re, cum totum fere Solini caput primum e Varronis libris derivatum esse videatur, haec Gellii quoque per eundem scriptorem eum accepisse suspicari licet.

Digitized by Google

Euandro eam dedicatam esse Dionysius (itemque Plutarchus q. R. 90, ipse quoque Varronem secutus) arbitratus est.

Sed licet Varro ita, ut Plutarchus et Dionysius, rem enarraverit, alia [1]) praeterea ratione eademque atque a Solino eam ab illo relatam esse e Macrobio III, 6, 17 cognoscimus.

Ad Solini verba »*Nicostrate — comperisset*« cf. quae supra disserui (p. 2 sqq.). Livius (I, 7) Nicostratae nominis mentionem praeteriit, Varro contra, ut supra vidimus, hoc nomine vocatam esse Euandri matrem eademque de causa, quam dicit Solinus, Carmentem appellatam esse posuit.

Quod ipsum Herculem sacrorum ritus Potitios docuisse Solinus affirmat, optime convenit cum Dionys. I, 40, 3/4.[2]) Contra Livius I, 7, 14 ab Euandro edoctos esse illos antistites maluit. De Potitiis et Pinariis[3]) Varronem egisse praeterea Macrob. I, 12, 28 testis est.[4])

In paragrapho undecima Pliniana doctrina aucta est a compilatore quibusdam rebus aliunde petitis. E Varrone plane eadem nusquam servata sunt: tamen nescio an ea, quae de canibus ibi Solinus adiecit, quodammodo cohaereant cum Plutarchi quaestione Romana nonagesima: ubi Varronis nomen laudatur.

Plut. q. R. 90. »*διὰ τί τῷ Ἡρακλεῖ γιγνομένης θυσίας ἄλλων οὐδένα θεῶν ὀνομάζουσιν οὐδὲ φαίνεται κύων ἐντὸς τῶν περιβόλων, ὡς Βάρρων ἱστόρηκεν;*«

Paragraphus duodecima et decima tertia Varronis auctoritatem luculenter referunt.

---

[1]) Sive potius duabus aliis rationibus. P. 12, 2 Macrobii verba exscripsi.

[2]) Idem apud Festum invenitur p. 237a 21.

[3]) Quod Pinariorum nomen desideratur apud Solinum, certe compilatoris neglegentiae tribuendum est.

[4]) Quae de Herculis fano in foro Boario Solinus addidit, ea ipse scire potuit. — Idem apud Dionys. I, 40, 6 et Macrob. III, 6, 10 legis.

Digitized by Google

Solin. 1, 12/13.

»*Iidem et montem Capitolinum Saturnium nominaverunt. Castelli quoque quod excitaverunt portam appellaverunt Saturniam, quae postmodum Pandana vocitata est.*«

De l. L. V, 42.

»*Hunc antea montem Saturnium appellatum prodiderunt et ab eo late Saturniam terram, ut etiam Ennius appellat.*[1]) *Antiquum oppidum in hoc fuisse Saturniam scribitur; eius vestigia etiam nunc manent tria, quod Saturni fanum in faucibus, quod Saturnia porta, quam Iunius scribit ibi, quam nunc vocant Pandanam.*«[2])

Cum Solini verbis »*Pars etiam infima Capitolini montis habitaculum Carmentae fuit, ubi Carmentis nunc fanum est, a qua Carmentali portae nomen datum*« confer Fest. p. 334a, 2, quem locum, sicut omnes, quibus agitur de portis urbis, Mirschius (p. 51) recte Varronis fragmentis inseruit Cf. Serv. VIII, 337.

Quae de Arcadibus Palatii conditoribus Solinus p. 14 exponit, ea Varronem eodem modo narrasse Servii interpolator ad Aen. VIII, 51 docet[3]): quod e Palatio Aborigines Reate commigrasse Solinus adiecit[4]), sive ipse sive eius auctor male intellexisse videtur, quae legerat apud Varronem similia illius verbis, quae exstant in libro de l. L. V, 53.[5]) P. 15 tribus aliis

[1]) Huc pertinet et Solinus 2, 5: »*Quis ignorat vel dicta vel condita a Iano Ianiculum, a Saturno Latium atque Saturniam?*«

De Latio vulgare veriloquium amplectitur; aliud Varro apud Serv. VIII, 322 maluit, sed profecto ne illud quidem tacuerat. Ianiculi explicatio consentit cum Varrone (Aug. VII, 4, p. 279, 28 D.), dissentit a Verrio (Paul. p. 104, 16).

[2]) Praeterea cf. Fest. p. 322 b. 24 (supra p. 6 et 14).

[3]) I. VIII, 51. »*sicut ait Varro: nonne Arcades exules confugerunt in Palatium, duce Euandro?*« Cf. de l. L. V, 53; Dionys. I, 31, 4.

[4]) »*quod* (Palatium) *aliquamdiu Aborigines habitarunt, propter incommodum vicinae paludis, quam praeterfluens Tiberis fecerat, profecti Reate postmodum reliquerunt.*«

[5]) »*Aborigines ex agro Reatino, qui appellatur Palatium, ibi consederunt.*«

Digitized by Google

rationibus Palatii nomen Solinus explicavit. Quarum una quidem (a Pale dea Palatium dictum esse) nusquam praeterea reperitur, alteram Varro de l. L. V, 53 proposuit. De tertia paulo copiosius quaerendum est. Quod ut faciamus, Solino relicto aliis prius scriptoribus quibusdam animum advertamus.

Narravit Dionys. I, 43 Herculem duos in Italia filios reliquisse, alterum, nomine Pallantem, ex Lavinia (= Λαυΐνα), Euandri filia, alterum, qui Latinus vocatus esset, ex Hyperborei cuiusdam filia. Eadem vero, etsi decurtata ab epitomatoribus, apud Verrium invenimus.[1]) Nam etsi de Pallantis parentibus iam nihil servatum est in Pauli excerptis, de illo quoque non minus quam de Latino idem, quod Dionysius, Verrium rettulisse consentaneum est. Nam cum uterque idem dixerit de Latino, uterque simili modo coniunxerit Pallantis Latinique nomina, uterque a Pallante ibi sepulto Palatii nomen deduxerit (cf. Dionys. I, 32, 1), memoriam nihil omnino diversam utrumque secutum esse nemo negabit: sequitur, ut eundem fontem et Dionysius et Verrius advocarit.

Ac Dionysius c. 32, 1 ad Polybium provocat: verum enim vero non apud illum unum sese invenisse hanc rem ipsius verba indicant:

»ὧν ἐστι καὶ Πολύβιος ὁ Μεγαλοπολίτης.«

Polybium autem a Verrio consultum esse nec volam nec vestigium reperies: qua re ex altero illo scriptore, quem produnt Dionysii verba, illum sua hausisse veri multo similius est.

Nec desunt certa indicia, quibus freti ernamus, quis fuerit alter ille Dionysii auctor. Hunc enim eorum, quae de Euandro primo archaeologiae libro inseruit, maximam partem e Varrone arcessivisse Kiesslingium secutus iam supra (p. 23) notavi. Idem vero in Verrium cadere eo perspicitur, quod tertia Pa-

[1]) Paul. p. 220, 5. »*Palatium, i. e. mons Romae, appellatus est, quod ibi pecus pascens balare consueverit, vel quod palare, i. e. errare, ibi pecudes solerent; alii, quod ibi Hyperborei filia Palanto habitaverit, quae ex Hercule Latinum peperit; alii eundem, quod Pallas ibi sepultus sit, aestimant appellari.*«

Digitized by Google

latii notatio Verriana e Varronis copiis haud dubie deprompta est.[1]) Itaque cum Varronem ab utroque aditum esse his in rebus enarrandis constet, haec quoque ad eundem redire nonne manifestum est?

Aliud sane Servius ad Aen. VIII, 51 Varroni ascripsit: qui secundum hunc Pallantiam — nominis forma paulo diversa a Festi epitomatore (»*Pallanto*«) nullius momenti est, nam facillime corrumpi potuit nomen, quod pervenit ad Vergilii interpretem per nescio quot compilatores — Euandri filiam fuisse dicit.

Qua e re concludi non posse Dionysii ac Verrii relationem diversam a Serviana Varronem omnino silentio praeteriisse, non est, quod pluribus exponam.[2])

Sed vereor, ne illa discrepantia non e Varronis studio, sed e scholiastae errore orta sit.

Leguntur haec apud Servium[3]): »*Hic autem mons Palatinus secundum Vergilium a Pallante, avo Euandri, est dictus, secundum Varronem et alios a filia Euandri Pallantia, ab Hercule vitiata et postea illic sepulta, vel certe a Pallante eius filio illic sepulto [immaturae aetatis: alii a filio Euandri, qui post mortem patris seditione occisus est.]*« [4])

Quo de loco, ut certius iudicemus, prius, quem significaverit scholiastes verbo »*eius*«, quaerendum videtur. Neque enim grammatica ratione utrum ad Herculem an ad Pallantiam an ad Euandrum pertineat, satis diiudicari potest. R. Petrus l. l. Pallantem Euandri filium dici a Servio veri simillimum censuit. Interpolatorem autem de Herculis filio cogitasse ille

---

[1]) De l. L. V, 53. »*Eundem hunc locum a pecore dictum putant quidam; itaque Naevius Balatium appellat.*«

[2]) Aliud praeterea apud Varronem de l. L. V, 53: »*hoc alii ex Palantio, uxore Latini.*«

Quodsi Bormannus (Kritik der Sage v. König Euandros. Rossleben. 1853. p. 4, 1 et 12) Servii testimonium propter dissensum cum libro de l. L. Varroni omnino abrogavit, huius indolem parum recte perspexit.

[3]) Cf. Rudolfum Petrum in Roscheri Lex. 2292 s. v. Hercules.

[4]) Quae uncinis inclusi, interpolator addidit.

Digitized by Google

quoque concessit. Manifesto enim id elucet, si conferimus verba ab interpolatore addita »*immaturae aetatis*« cum Dionys. I, 43, 2: »*Πάλλαντα μὲν οὖν πρὶν ἡβῆσαι λέγουσιν ἀποθανεῖν.*«[1]) Sed vix addere potuit interpolator duo illa verba, nisi eundem vel similem fontem — i. e. ex eodem fonte primario deductum — adhibuisset: id quod fortasse[2]) vel ipsius interpolatoris verbis comprobatur. Item enim ut a genuino Servio, in additamentis quoque ibi ipse Varro laudatur. Eo igitur, quod interpolator Herculis filium significavit, Servii quoque in fonte eundem commemoratum fuisse effici mihi videtur. Sin autem Herculis filium Pallantem fuisse Servius probavit, optime eo concinit cum Dionysio itemque concinit cum illo ea re, quod Pallantiam ab Hercule vitiatam esse tradidit. Nam etsi eius nomen desideratur apud Dionysium, huius in fonte illud non celatum fuisse coll. Verrio satis certum est. Omnia igitur, quae e Varrone exscripsit Servius, prorsus consentiunt cum Dionysii Verriique verbis, quorum Varronianam originem supra agnovimus. Una in re discrepat a ceteris: Pallantiae nomini addidit verba »*filia Euandri*«. Sed vide ne nimiam fidem Servio hac in re habeas. Quid, si talia fere legit in fonte suo:

»*secundum Varronem a Pallantia ab Hercule vitiata etc. s. — — — vel certe a Pallante, filio eius atque Euandri filiae, illic sepulto?*«

Nonne neglegentem compilatorem confudisse Pallantiam ac Pallantis matrem verbaque »*filia Euandri*« errore ad illam transtulisse facile cogitari potest?[3]) Sed quocunque modo haec res se habet — sive Servius male reddidit Varroniana sive praeter Dionysii et Verrii relationem aliam Varro

[1]) Praeterea ea, quae de Euandri filio profert, voce »*alii* (scil. dicunt)« coniungit cum prioribus.

[2]) »Fortasse« dixi, quod non satis constat, eodemne ab interpolatore Varronis verba ibi laudata addita sint atque ea, quae sequuntur.

[3]) Servium confudisse Pallantiam et Laviniam Bormannus quoque l. l. p. 12 coniecit.

Digitized by Google

adiunxerat aliunde non notam — id, quod supra posui, Dionysium et Verrium e Varrone sua hausisse, ea re nullo modo debilitatur.

Iam ad Solinum revertamur. Legimus apud hunc (1, 15) de Palantho, Hyperborei filia, idem, quod Varroni e Dionysii Verriique consensu modo adiudicavimus. Ipse autem Solinus ad Silenum eam rem refert. Apparet igitur — si modo recte disputavimus — hoc scriptore usum esse Varronem. Itaque, quo magis firmetur sententia nostra, videamus, si quod aliud forte Sileni vestigium apud eum deprehendamus. Ac Stephanus Byzantius s. v. *Παλική*, postquam genealogiae Palicorum Aeschyli fabula celebratae mentionem fecit, secundum Silenum Aetnae atque Vulcani filios eos fuisse adnotat. Quae res nusquam praeterea legitur nisi apud unum Servii interpolatorem ad Aen. IX, 581. Hoc autem ipso interpolatoris scholio idem Varro laudatur. »*Palicos nauticos deos Varro appellat. Alii dicunt Iovem hunc Palicum propter Iunonis iracundiam in aquilam commutasse. Alii Vulcani et Aetnae filium tradunt.*« Nonne hic quoque coniungi Sileni Varronisque sententiam ita explicandum est, ut per hunc illius genealogiam innotuisse interpolatori censeamus? Invicem, puto, utrumque Sileni doctrinae apud Varronem vestigium alterum altero firmatur, ita, ut quin utroque loco Silenus ab illo expressus sit, dubitari non possit. Quod si recte statuimus, alia quoque quaestio diiudicatur. Adnotavit enim Carolus Muellerus (fragm. hist. Graec. III, 100.) ad Solini locum, quamquam inseruit Sileni Calactini fragmentis: »*Haec fortasse ad alium Silenum pertinent.*« Quae Muelleri verba Rudolfus quoque Petrus l. l. digna arbitratus est, quae commemoraret. Ea autem, quae de Palicis e Sileno profert Stephanus Byzantius, Calactino quin debeantur, neque C. Muellerus dubitat neque alius quisquam dubitabit, cum de Sicilia libros Calactinum scripsisse constet, in quibus optime dicere potuit de Palicis. Iam vero Varronem eo Sileno usum esse vidimus, qui narraverat illud de Palicis deis. Is autem cum Calactinus fuerit, altera quoque illa res, quam idem hausit e Sileno, Ca-

Digitized by Google

lactino tribuenda est.[1]) Eo autem C. Muellerus videtur in dubitationem incidisse, quod quomodo Palatii veriloquium cohaereret cum bello Hannibalico — huic enim libro inseruit fragmentum — non intellexit. Ac profecto, qua occasione in illius belli enarratione hoc proferre Silenus potuerit, haud facile cognoscitur. Optimus vero huic rei locus fuit in illius *Σικελικοῖς*. Nam cum e Latio Siculos in Siciliam profectos esse veteres crederent (cf. Dionys. I, 20), Silenus illo in libro aptissime dicere potuit, immo debuit de iis, qui priores Siculorum sedes occupaverant.

In Solini paragrapho decima septima sqq. — in paragrapho decima sexta nihil inest, quod non ipse compilator addere potuerit — laudatur ab ipso »*Varro auctor diligentissimus*.«[2])

L. Tarrutii quoque mentionem (1, 18) e Varrone fluxisse coll. Plut. Rom. 12 in aperto est. Cf. Lyd. de mens. 1, 14.

A partu Iliae dicta esse Parilia, id quod p. 19 Solinus refert, praeterea nusquam nisi apud scholiastam Persii I, 72 traditur. Qui unde sumpserit, certo erui non potest. Nec vero praetermittendum est in eodem scholio e Varrone quaedam de Parilibus adferri. Itaque cum et omnia, quae usque ad paragraphum undevicesimam primo Solini capite continentur, ad Varronem redire cognoverimus neque Persii interpres Varronianae doctrinae expers sit, ex eodem auctore prodiisse, etsi non certissime, tamen magna cum probabilitate concludi potest.

Quae exstant in paragrapho vicesima, tritiora sunt, quam ut de fonte quidquam statuere liceat.

Regum seriem, quae paragrapho vicesima prima sqq. continuatur, e Varrone profluxisse Iordanus (röm. Topogr. I, 1, 54, adn. 23.) coll. Nonio p. 531, 18 (= de v. p. R. I, 10 Kettn.) recte vidit.

---

[1]) Nisi forte quis duos Silenos a Varrone adhibitos esse sibi persuasit.

[2]) »*Silvia*« nescio an ipse compilator ibi addiderit Rheae nomini. Cf. auctorem de pron. 1. Ad verba »*dictaque primum est Roma quadrata*« adnotaverim dissentire a Varrone Solino Festum, qui non antiquissimam urbem, sed mundum significavit verbis »*quadrata Roma*« (Fest. 258b, 5).

Digitized by Google

Praeterea cf. Reuss, de Iubae regis historia a Plutarcho expressa. [Wetzlar. 1880.] p. 12.

In iis, quae sequuntur inde a paragrapho vicesima septima, item certa Varronis vestigia detegi non possunt.[1]) Latere autem ibi quoque illius frustula eo probabile est, quod anno Hirtii et Pansae consulum termino usus est compilator. Idem enim Varro fecerat. (Arnob. adv. nat. V, 8.) Cf. Kettner, varr. Stud. [Halle. 1865] p. 39.

[1]) In disputationem de anno Romano (I, 34 sqq.), de qua multa iam disseruerunt viri docti, inquirere supersedeo.

Digitized by Google

V.

Serv. ad Aen. VI, 224. »*Facem] de fune, ut Varro dicit: unde et funus dictum est. Per noctem autem urebantur: unde et permansit, ut mortuos faces antecedant.*«

Idem veriloquium cum Servius repetat ad Aen. I, 727, eum quoque locum e Varrone originem traxisse consentaneum est. »*Funalia, quae intra ceram sunt, dicta a funibus, quos ante usum papyri cera circumdatos habuere maiores: unde et funera dicuntur, quod funes incensos mortuis praeferebant.*«[1])

Nec minus haec quoque interpolatoris ad Varronis auctoritatem respiciunt, qui in eodem scholio paulo post citatur.

I. XI, 143. »*Apud Romanos moris fuit, ut noctis tempore efferrentur ad funalia — unde etiam funus dictum est — quia in religiosa civitate cavebant, ne aut magistratibus occurrerent aut sacerdotibus, quorum oculos nolebant alieno funere violari.*«[2])

Quae sequuntur ibidem de vespillonibus, e Verrio, qui una cum Varrone hoc in scholio laudatur[3]), videntur pendere. Cf. Paul. p. 368, 17.

Cetera, quae ibi adduntur, utrum Verrio an Varroni debeantur, diiudicari non potest, verba »*funera autem alii a funalibus candelis sebo vel cero circumdatis dicta tradunt, quod his praelucentibus noctu efferrentur mortui*« coll. Servio VI, 224 et initio ipsius interpolatoris loci Varroni videntur vindicanda.

---

[1]) Donat. Terent. Andr. I, 1, 88. Isid. 11, 2, 34; 19, 4, 1.

[2]) Cf. Servium quoque XI, 142.

[3]) »*Alii, sicut Varro et Verrius Flaccus dicunt: si filius familias extra urbem decessit, liberti amicique obviam procedunt, et sub noctem in urbem infertur cereis facibusque praelucentibus, ad cuius exsequias nemo rogabatur.*«

Digitized by Google

De facibus et funalibus Varro et apud interpolatorem I, 727 dicit. »*Alii funalia appellarunt, quod in cicendula lucet, quos Graeci πυραύς vocant: Varro de vita p. R.* (I, 52 Kettn.): *facibus aut candela simplici † aut ex eo funiculo facto, earum vestigia quod ubi ea figebant appellarunt funalia.*«[1])

Corruptela quin ibi exstet in Varronis verbis, haud dubium est. Thilo corrupta verba esse notavit asterisco, in adnotationibus complurium coniecturas protulit, nullam adeo firmatam arbitratus, ut in textum eam recipere liceret. Equidem haec temptaverim: »*facibus, aut candela simplici aut ex funiculo facta: earum vestigia, ubi eas figebant, appellarunt funalia.*« Vestigio autem non »*imam partem*« (scil. candelae), ut Thilo interpretatus est, significari puto, sed locum, in quo stat aliqua res, i. e. ibi locum, in quo fixa est candela. Cf. de hac vocis vestigii significatione Cic. de natura deorum I, 14, 37, Caes. bell. Gall. IV, 2, 3. Aptissime autem quadrare hunc sensum in totius loci sententiam Isidorus docet, qui XX, 10, 5 diserte dixit et tota candelabra et ipsos stimulos praeacutos, ubi figerentur funiculi, appellari funalia. Praeterea cf. Donat. ad Ter. Andr. I, 1, 88: »*quod* (funus) *a funalibus dictum est et uncis et cuneis candelabrorum, quibus delibuti funes, cerei, fomites infiguntur.*« Quo e loco, quid intersit inter candelam simplicem et ex funiculo factam, cognoscere licet. Scil. »*candela simplici*« cereum Varro videtur significasse, ex funiculo autem facta funiculum pice oblitum, i. e. facis quoddam genus. Cf. de l. L. V, 119. Fere idem Servii quoque interp. I, 727 (»*candelae vel funes pice delibuti*«) dicere videtur.

Ea verba, quae exstant in exordio scholii ad Aen. XI, 143, e Varrone hausta esse nobis persuasimus (p. 32) Ibi vero ideo noctu efferri mortuos legimus, ne polluantur eorum aspectu sacerdotes. His autem non licuisse videre mortuos Serv. III, 64

[1]) Quamquam haec fortasse alio loco atque cetera Varro protulit. Neque enim certum est, ea quoque ad funera pertineant an ad domesticam rem.

Digitized by Google

tradit: quod cum manifesto cohaereat cum illo loco, haec quoque Servii Varroni videntur tribuenda. »(cupressus) *inferis consecrata est, quia caesa nunquam revirescit. Moris autem Romani fuerat ramum cupressi ante domum funestam poni, ne quisquam pontifex per ignorantiam pollueretur ingressus.*« Atque idem mos cupressos ante domum funestam ponendi enarratur ab interpolatore ad IV, 507[1]) nec non tangitur a Servio ad VI, 216. Serv. VI, 216. »*Cupressus adhibetur ad funera, vel quod caesa non repullulat, vel quod per eam funestata ostenditur domus, sicut laetam frondes indicant festae. Varro tamen dicit pyras ideo cupresso circumdari propter gravem ustrinae odorem, ne eo offendatur populi circumstantis corona, quae tamdiu stabat respondens fletibus praeficae, i. e. principi planctuum, quamdiu consumpto cadavere et collectis cineribus diceretur novissimum verbum »ilicet.*«

Sane hoc loco Varroni aliam explicationem Servius tribuit, quae priori, quam interpolator quoque IV, 507 amplexus est, opponitur voce »*tamen.*« Nec vero prior alius auctoris putanda est, sed ne hanc quidem non Varronianae originis esse ceteris locis, quos contuli, satis confirmatur. Simili modo et apud Servium ad Aen. I, 697 Varronis verba vocula »*tamen*« opponuntur ceteris, sed ea, quae praecedunt, ipsa quoque Varroniana esse coll. Nonio p. 537, 15 evincitur. Hoc autem loco (VI, 216) Servius eo minus apte scripsit illud »*tamen*«, quod duae eius explicationes re vera non contrariae sunt, nam altera ad domum funestam, altera ad rogum pertinet.

Tertia praeterea illius moris causa adicitur a Servio eodem

---

[1]) I. IV, 507. »*Romani moris fuit propter caerimonias sacrorum, quibus populus Romanus obstrictus erat, ut potissimum cupressus, quae excisa renasci non solet, in vestibulo mortui poneretur, ne quis imprudens funestam domum rem divinam facturus introeat et quasi attaminatus susceptа peragere non possit.*«

Ab interpolatore praeter Varronem Verrium quoque his de rebus laudari supra (p. 32) vidimus. Qua re haec quoque Varroniana fortasse per Verrium Flaccum ad interpolatorem propagata sunt.

Digitized by Google

loco. Quam item, ut ceteras, e Varrone sumptam esse eo ostenditur, quod apud interpolatorem ad Aen. IV, 507 — hoc scholion supra (p. 34) illi asserui — cum ea, quam hoc loco Servium e Varrone deprompsisse iam intelleximus, ita coniungitur, ut has omnino non duas causas (id quod Serv. VI, 216 videtur credidisse, cum diceret »*vel — vel*«), sed unam eandemque esse eluceat. Scil. exposuit Varro eo, quod caesa non renasceretur, funebrem putari cupressum ideoque ante domum funestam eam potissimum arborem poni.[1])

Pontificibus cadavera videre non licuisse, ut supra (p. 34) vidimus, Varro tradidit. Servius autem, cum idem ad Aen. VI, 176 refert, maius etiam nefas illis esse addit, si quae viderint, insepulta relinquere, ita, ut haec quoque, quae arte cohaerent cum illa re, Varronem commemorasse pateat.[2])

A feminis ora lacerari in exsequiis hominesque olim mactatos esse in sepulcris Varro apud interpolatorem ad Aen. III, 67 narrat. Ad eundem auctorem, etsi non laudatur, coll. illo interpolatoris loco, manifesto redeunt, quae Servius exhibet ad Aen. XII, 606.

»*Moris fuit [apud veteres], ut ante rogos [regum] humanus sanguis effunderetur, vel captivorum vel gladiatorum: quorum si forte copia non fuisset, laniantes genas suum effundebant cruorem, ut rogis illa imago restitueretur.*« (Sequitur lex XII tabularum.)

De Serv. V, 78 cf. Diels, sibyllin. Blätter. p. 72, 1.[3])

Servius VI, 216, quem locum p. 34 exscripsi, praeficae mentionem facit. Cuius verbi veriloquium Varro de l. L. VII, 70 posuit Naeviique ibi hunc versum citat:

»*Haec quidem hercle, opinor, praefica est; nam mortuum collaudat.*«

[1]) Cupressum funebrem arborem esse Servius praeterea ad Aen. II, 714 adnotavit.

[2]) Serv. Aen. VI, 176. »*unde cum pontificibus nefas esset cadaver videre, magis tamen nefas fuerat, si visum insepultum relinquerent.*«

[3]) Cf. Servium quoque X, 519.

Digitized by Google

Atque idem versus legitur apud Paulum, qui explicationem quoque verbi eandem profert (p. 223, 16). Quo e consensu Varroni Verrium ibi se addixisse cognoscimus. Sed cum libros de l. L. Verrius non in usum vocarit (cf. O. Muell. praef. ad Fest. p. XXIX, 6), ex alio Varronis opere certe haec sibi sumpsit. Dixit autem ille de praefica praeterea in libro de vita populi Romani IV. Cf. Non. p. 67, 8 et 145, 24. Eidemque libro cetera quoque Varronis, quae de funere servarunt Vergilii scholiastae, apte restituuntur.

Digitized by Google

VI.

Serv. ad Aen. II, 781. »*Tuscus dictus Lydius a fratre Tyrrheni. Nam Lydus et Tyrrhenus duo fratres, cum eos provincia una non ferret, in sortem miserunt, ut divisis copiis proficisceretur unus ad novas sedes quaerendas. Profectus Tyrrhenus est, qui ex suo nomine Tuscos Tyrrhenos vocavit. Lydia autem dicta est, in qua frater remanserat. — — — Tusci autem a frequentia sacrificii dicti sunt, hoc est ἀπὸ τοῦ θύειν.*«[1])

[Cf. S. VIII, 479, praeterea Plut. q. R. 53, Romul. 25 extr., Fest. p. 322b, 4, qui idem stringunt.]

Haec Servii verba Varroni vindicaverim conferens Tertull. de spect. 5 (= Sueton. ed. Reiffersch. p. 322).[2]) »*Lydos ex Asia transvenas in Etruria consedisse Timaeus refert duce Tyrrheno, qui fratri suo cesserat regni contentione.*[3]) *Igitur in Etruria inter*

[1]) De iis, quae apud Isidorum ad eandem rem spectant, cf. Kettner, varr. Stud. p. 6.

[2]) Cf. Reifferscheid, quaest. Suetonianae. p. 464.
Schwarz. l. l. p. 433, 1.

[3]) Herodotus I, 94 non Tyrrhenum Lydumque fratres sortitos esse de regno narravit, sed Atyn regem emisisse filium Tyrrhenum, ipsum in Asia remansisse. Dionys. I, 27, quamquam laudavit Herodotum, tamen illius memoriam non accurate reddidit.

Herodot. I, 94.

»*τὸν βασιλέα αὐτῶν (Ἄτυν) δύο μοίρας διελόντα ἁνδρῶν πάντων κληρῶσαι, τὴν μὲν ἐπὶ μοιρῇ, τὴν δ' ἐπὶ ἐξόδῳ, καὶ ἐπὶ τῇ μένειν αὐτοῦ λαγχανούσῃ ἑωυτὸν τὸν βασιλέα προστάσσειν, ἐπὶ δὲ τῇ ἀπαλλασσομένῃ τὸν ἑωυτοῦ παῖδα, τῷ οὔνομα εἶναι Τυρσηνόν.*«

Dionys. I, 27, 3.

»*Ἡροδότῳ δὲ εἰρηται Ἄτυος τοῦ Μάνεω παῖδες οἱ περὶ Τυρρηνόν. — — — διανείμαντας ἅπαντα τὸν δῆμον δίχῃ κλήρους ταῖς μοίραις ἐπιβαλεῖν, τὸν μὲν ἐπ' ἐξόδῳ τῆς χώρας, τὸν δ' ἐπὶ μονῇ, καὶ τῶν Ἄτυος παίδων τὸν μὲν τῇ προσνεῖμαι, τὸν δὲ τῇ.*«

Digitized by Google

ceteros ritus superstitionum suarum spectacula quoque religionis nomine instituunt. Inde Romani arcessitos artifices mutuantur, tempus, enuntiationem, ut ludii a Lydis vocarentur. Sed etsi Varro ludios a ludo, i. e. a lusu, interpretatur, sicut et Lupercos ludios appellabant, quod ludendo discurrant, tamen eum lusum iuvenum et diebus festis et templis et religionibus reputat.«

Sane priora, quae ibi leguntur apud Tertullianum, Timaeo tribuuntur ab ipso, sed eum adhibitum esse a Suetonio veri simile non est, immo per Varronem Siculi sententiam Suetonium cognovisse multo videtur probabilius. Cf. Wissowa, Hermes XXII, p. 41, 1. Praeterea Varronem quoque coniunxisse Lydos ac ludios probatur a Nonio p. 530, 21. »*Quod ludis pueri praesules essent glabri ac depilis propter aetatem, quos antiqui Romani Lydios appellabant, ut est in libro I. Varronis de v. p. R.*«[1])

Accedit, quod eam Tuscorum nominis explicationem, quam Servius amplexus est l. l., Varronem proposuisse Reitzensteinius (Hermes XX, 536) e Plinii (III, 50) Festique (p. 355 b, 24) consensu recte collegit.[2])

Interpolator Servii ad Aen. I, 67, quamquam paulo propius accedit in singulis ad Herodoti memoriam, tamen eadem re, qua genuinus Servius, dissentit ab illo, consentit cum Timaeo-Varrone: scil. ille ipse quoque Tyrrhenum Lydumque fratres de regno sortitos esse refert. Duas igitur relationes fortasse contaminavit scholiastes.[3])

De ludis in libro de vita populi Romani I Varronem dixisse supra vidimus, Tertulliani autem locus aptius refertur ad rer. div. antiquitates (l. X).[4])

---

[1]) Cf. Dionys. II, 71, 3. Valer. Max. II, 4, 4. Krieger, quibus fontibus Valerius Max. usus sit in eis exemplis enarrandis, quae ad priora rer. Rom. tempora pertinent. Berol. 1888. p. 49.

[2]) Idem veriloquium ap. Dionys. quoque I, 30, 3 nec non apud Servii interpolat. Aen. X, 164.

[3]) Tuscorum nomen aliter atque Varro ibi interpolator explicavit.

[4]) Krahmerus (Zeitschrift f. Altertumswiss. 1852, p. 409) e l. IX totum Tertulliani caput quintum emanasse maluit, sed iis quidem, quae de ludiis

Digitized by Google

Servii verba, etsi concinunt cum exordio loci Tertullianei, tamen magis ad rerum humanarum antiquitates quadrare mihi videntur.[1])

pater prodidit, in X. libro meliorem locum fuisse puto. Ad libros de originibus scaenicis cum Cichorio (commentationes Ribbeckianae p. 425) illa revocare eo impedior, quod Tertulliani caput artissime cohaeret cum rebus sacris.

[1]) Fortasse in l. III haec enarrata erant. Cf. Mirsch. p. 33, Kiessling. p. 39. Tuscorum veriloquii praeterea fortasse in l. XI (de Italia) mentionem fecerat. Cf. quae Reitzensteinius l. l. disputavit de libris XI sqq. (de locis) a Verrio et Plinio exscriptis.

Digitized by Google

VII.

Servius ad Aen. IV, 167. »*Varro dicit: aqua et igni mariti uxores accipiebant*[1]*): unde hodieque et faces praelucent et aqua petita de puro fonte [per felicissimum puerum aliquem aut puellam] interest nuptiis, [de qua nubentibus solebant pedes lavari.]*«

Strinxit Varro hunc ritum in libro de l. L., uberius de eo dixit in libro de v. p. R. II.

De l. L. V, 61. »*Omne corpus, ubi nimius ardor aut humor, aut interit, aut si manet, sterile. — — — Igitur duplex causa nascendi ignis et aqua. Ideo ea nuptiis in limine adhibentur, quod coniungitur hic, et mas ignis, quod ibi semen, aqua femina, quod fetus ab eius humore.*«[2]) Cf. Cic. Acad. I, 7, 26.

Non. p. 112, 23 »*Varro de vita p. R. II: cum a nova nupta ignis in face adferretur e foco eius sumptus, cum fax ex spinu*

[1]) Rossbachius (Untersuchungen über d. röm. Ehe. Stuttg. 1853. p. 115) non nisi verba »*aqua — accipiebant*« Varronis, cetera ipsius Servii esse contendit, cuius ad aetatem pertineret illud »*hodie*«, itemque Thilo (prolegg. ad Serv. p. LXXII, 1) suam aetatem Servium ibi respicere arbitratus est. Sed ex eo, quod, cum in exordio scholii exstet praeteritum tempus »*accipiebant*«, continuantur praesentis formae (*praelucent, interest*), id concludi non potest. Dicit enim Varro, ut mihi quidem videtur, iam antiquitus exstitisse illum morem (impf. »*accipiebat*«) et adhuc in usu esse (praes. »*praelucent.*«). Gellius quoque apud Beckerum (Gallus II, 46) totum locum ad Varronem rettulit. Id autem vel eo probatur, quod idem (faces in nuptiis praelucere) alio loco (ecl. VIII, 29) scholiastes diserte illi tribuit.

[2]) Thilo (de Varrone etc. p. 22) e vocibus »*ideo, quod*« integra haec ex Aetiis translata esse in illum de l. L. librum conclusit. Sed vix quidquam efficitur illis verbis, saepius enim »*ideo, quod*« legitur in libro de l. L., e. g. V, 64, 69, 143, 151, 182. Omnes autem hos locos ex Aetiis translatos esse nemo credet. Concidunt igitur ea quoque, quae Ritschelius (opp. III, 451), etsi paulo cautius, disseruit de eadem re.

Digitized by Google

alba esset et eam puer ingenuus anteferret.« Ibid. p. 182, 19 (= 302, 6). »*Varro de vita p. R. lib. II: contra a novo marito cum item e foco ignis in titione ex felici arbore et in aquali aqua adlata esset.*«

Praeterea eundem morem Varronem explicasse in Aetiis Charisius testatur. Charis. I, p. 144, 21 Keil. »*Varro in Aetiis: fax ex spinu alba praefertur, quod purgationis causa adhibetur.*«

Prorsus autem consentit cum Varrone Lactantius (instit. div. 2, 9, 21 sqq.), qui non hoc uno loco eius vestigia pressit.

Lact. 2, 9, 21. »*Alterum enim quasi masculinum elementum est, alterum quasi femininum, alterum activum, alterum patibile. Ideoque a veteribus institutum est, ut sacramento ignis et aquae nuptiarum foedera sanciantur, quod fetus animantium calore et umore corporentur atque animentur ad vitam. Cum enim constet omne animal ex anima et corpore, materia corporis in umore est, animae in calore: quod ex avium fetibus datur scire, quos crassi umoris plenos nisi opifex calor foverit, nec umor potest corporari nec corpus animari. Exulibus quoque igni et aqua interdici solebat: adhuc enim nefas videbatur quamvis malos, tamen homines supplicio capitis adficere. Interdicto igitur usu earum rerum, quibus vita hominum constat, perinde habebatur, ac si esset, qui eam sententiam exceperat, morte multatus. Adeo duo ista elementa prima sunt habita, ut nec ortum hominis nec vitam sine his crediderint posse constare.*« Cf. Ovid. fast. IV, 791. De eodem ritu Plutarchus (quaest. Roman. 1.)[1] verba fecit. Qui quattuor causas enumerat, cur aquam et ignem veteres in nuptiis adhibuerint. Quarum prima ac tertia[2] in libro de l. L. et apud Lactantium legitur, altera tangitur a Varrone apud Charisium, quarta, quamquam plane eadem nusquam reperitur apud scriptores Varronianos, tamen quodammodo convenit cum iis, quae e Dionysio et Festo infra (p. 42) exscripsimus.

[1] Cf. Thilo p. 22 sq.

[2] Nam primam ac tertiam explicationem unam eandemque esse Glaesserus p. 174 recte vidit.

Digitized by Google

Quae Paulus p. 2, 15 [1]) prodit de eodem ritu, ea manifesto ad Varronem respiciunt. Cf. Pauli verba »*hae duae res humanam vitam maxime continent*« cum Lactantio »*usu earum rerum, quibus vita hominum constat*« et Varrone de l. L. V, 61 »*igitur duplex causa nascendi ignis et aqua.*« [2])

Hanc vero Pauli adnotationem cum e Varrone translatam esse nobis persuaserimus, eum locum, quo eundem morem facis in nuptiis praeferendae Paulus enarrat, eundem ad auctorem referre nihil dubitamus.

Paul. p. 87, 11. »*Facem in nuptiis in honorem Cereris praeferebant; aqua aspergebatur nova nupta, sive ut casta puraque ad virum veniret* [3]*) sive ut ignem atque aquam cum viro communicaret.*« [4])

---

[1]) »*Aqua et igni tam interdici solet damnatis quam accipiuntur nuptae, videlicet quia hae duae res humanam vitam maxime continent.*«

[2]) Glaesserus (p. 174), qui Lactantium neglexit, e Dig. XXIV, 1, 66 et Novii quodam versu apud Non. p. 516, 19 servato sollemnem esse elocutionem »*aqua et igni accipere*« recte sane conclusit, sed non meminit Pauli locum Varroni vindicandum esse, non quod consentiat cum eo in illa formula, sed quod eadem ratione uterque explicaverit illum nuptiarum ritum. E Varrone autem fluxisse Pauli locum cum illius explicationis consensu satis pateat, non est, cur e Verrio Flacco secundam et quartam causam per intercessorem ad Plutarchum propagatam esse cum Glaessero p. 174 coniciamus, sed ad fontium communionem eorum concentum potius referemus. Atque ipse vir doctus p. 223 alius (atque Iubae) cuiusdam scriptoris, qui Varronianam doctrinam Plutarcho suppeditaverit, vestigia apud illum non animadverti recte profitetur idemque p. 187, 2 alium quendam Plutarchi cum Verrio consensum vel eo effici potuisse, quod utriusque verba e Varrone prodiissent, contra Kettnerum optime monuit. Nec vero addere debuit: »*vel eo, quod Iuba Verrium consuluit.*« Recte enim Hermannus Petrus (über den Wert der historischen Schriftstellerei des Königs Iuba. Meissen 1879) adnotavit regem, non ut plerosque compilatores antiquos, tacere auctores suos, sed illum quidem laudare eorum nomina. Itaque cum Varronis mentio saepius obvia sit in iis, quae e Iuba Plutarchus exscripsit, Verrius Flaccus nusquam ab eo commemoretur, hunc a Mauretano adhibitum esse minime verisimile est. [Kettneri »Beobachtungen über die Benutzung des Verrius Flaccus« inspicere mihi non licuit.]

[3]) Cf. Charis. l. l. »*quod purgationis causa adhibetur.*«

[4]) Ad haec ultima verba cf. Dionys. II, 30, 6. »*διαριθμήσας* (Romulus) *τὰς κούρας ἑξακοσίας τε καὶ ὀγδοήκοντα καὶ τρεῖς εὑρεθείσας κατέλεξεν*

Digitized by Google

Atque ibi fieri id in honorem Cereris legimus. Eam autem (sive Tellurem)[1] celebrari in nuptiis Servii interpolator ad IV, 166 tradit. Qua re nescio an is quoque scholiastae locus derivatus sit e Varrone.

Praeter Paul. p. 2 et 87, quos locos Thilo quoque adtulit, Verrium haec ex eodem auctore mutuatum esse collato Charisio puto.

Fest. p. 245a, 1 (= Paul. p. 244.). »*Patrimi et matrimi pueri praetextati tres nubentem deducunt; unus, qui facem praefert ex spina alba, quia noctu nubebant; duo, qui tenent nubentem.*«[2]

Servius, cum eiusdem moris inter complures alios nuptiarum ritus ad ecl. VIII, 29 mentionem infert, Varronis Aetia laudat. »*Varro in Aetiis dicit [sponsas] ideo faces praeire, quod antea non nisi per noctem nubentes ducebantur a sponsis. Quas etiam ideo ait limen non tangere, ne a sacrilegio inchoarent, si depositurae virginitatem calcent rem Vestae, i. e. numini castissimo, consecratam. Idem Varro spargendarum nucum hanc dicit esse rationem, ut Iovis omine matrimonium celebretur, ut nupta matrona sit, sicut Iuno: nam nuces in tutela sunt Iovis, unde et iuglandes vocantur, quasi Iovis glandes.*«[3]

Ad ultima Servii verba cf. de l. L. V, 102. Idem iuglandis veriloquium praeterea invenies apud Plin. XV, 91 et Macrob. III, 18, 3. Quorum hic ad Gavii Bassi auctoritatem provocat. Cf. p. 12, 1. Plinii locum Mentzius (de L. Aelio Stilone. Comm.

αὐθις ἐκ τῶν ἀγάμων ἄνδρας ἰσαρίθμους, οἷς αὐτὸς συνήρμοττε καὶ τοὺς παιρίους ἑκάστης ἐθισμοὺς, ἐπὶ κοινωνίᾳ πυρὸς καὶ ὕδατος ἐγγυῶν τοὺς γάμους, ὡς καὶ μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς ἐπιτελοῦνται χρόνων.«

[1] Eandem enim esse Tellurem atque Cererem Varro statuerat. Cf. Aug. de c. D. IV, 10 (p. 159, 7 D.).

[2] Id, quod Festus »*patrimis et matrimis*« significavit, Servii interpolator ad Aen. IV, 167 (p. 40) dixit vocibus »*per felicissimum puerum.*«

[3] Quae sequuntur ibidem apud Servium et interpolatorem, unde deducta sint, diiudicari non potest, nisi quod prior interpolatoris explicatio congruit cum Verrio Flacco (Fest. p. 173b, 23). Cf. Plin. XV, 86.

Digitized by Google

phil. Ien. IV, p. 53) Aelii Stilonis fragmentis (dub. auct. 3) inseruit, »*quod in indice huius libri L. Aelius inter auctores nominatur neque ullus in hoc libro exstat locus alius, qui melius ad Stilonis doctrinam quadret.*« Rectene id fecerit vir doctus, non diiudicaverim nec nostra multum interest, utrum Stilo an Varro primus id veriloquium proposuerit, cum hunc amplexum esse eam notationem e libro de l. L. satis constet.

Limen a nubentibus tangi non licere Servius praeterea ad Aen. II, 469 narrat, quem locum, quamquam Varro ibi non citatur, coll. Serv. Ecl. VIII, 29 nihilominus eidem assero. Cf. Serv. ad Aen. VI, 273.[1])

De alio nuptiarum ritu Servii interpolator ad Aen. IV, 166 Varronem laudavit.

»*Varro pronubam dicit, quae ante nupsit et quae uni tantum nupta est: ideoque auspices deliguntur ad nuptias.*«

Quod cum idem Festus p. 242b, 29e Verrii opere excerpserit, hunc quoque e Varronis auctoritate ibi pendere veri simile est.

»*Pronubae adhibentur nuptis, quae semel nupserunt, ut matrimonii perpetuitatem* (coni. O. Muellerus, codd.: *matrimonia paupertatem) auspicantes.*« Cf. Paul. p. 244, 3.

Quae de Talassio Plutarchus scripsit (Romulus cap. 15, quaest. Rom. 31)[2]), ea ad lubam redire illumque, item ut Festum p. 351b, 27, e Varrone eas res hausisse Barthius p. 14 sq. demonstravit. Verba »*καὶ τὴν νύμφην εἰσάγοντες — περιστέφει τοῦ ἀνδρὸς*« itemque Serv. Aen. IV, 458 eidem auctori Thilo p. 25 conferens Plin. VIII, 194 recte tribuit. Cf. Donat. quoque ad

[1]) Plutarchus (quaest. Rom. 29) alias quasdam explicationes eiusdem moris posuit. Quarum primam e Varronis Actiis manasse Thilo p. 24 sibi persuasit, sed futilia esse eius argumenta Glaesserus p. 173 iustissime notavit.

[2]) Barthii coniecturam »*κάλασθον*« pro »*πάλασον*« Glaesserus p. 188, 1 merito reiecit. Equidem codicum lectionem retinendam esse credo conferens ea, quae de littera s in r mutata Varro docuerat (Servii interpol. IV, 219, Macr. III, 2, 8). Dixit enim Plutarchus, ni fallor, Talasium cani in nuptiis *ἀπὸ τῆς παλαιᾶς*, quae vox derivata esset a *παλάω*: hac enim forma pro *παλαίω* veteres usos esse.

Digitized by Google

Terent. Hecyr. I, 20, 60. Praeterea collatis iis locis, quos supra adtuli, haec interpolatoris Serviani Varroni videntur vindicanda.

I. IV, 103. »*Conventio eo ritu perficitur, ut aqua et igni adhibitis, duobus maximis elementis, natura coniuncta habeatur: quae res ad farreatas nuptias pertinet, quibus flaminem et flaminicam iure pontificio in matrimonium necesse est convenire.*«[1])

Omnes hos nuptiarum ritus uberrime in libris de v. P. R. Varro videtur exposuisse. Partem eorum in Aetiis quoque narratam fuisse Charisius et Servius ecl. VIII, 29 testantur.

[1]) Quae praecedunt ibidem de coëmptione, non e Varrone hausta sunt. Cf. Rossbach. l. l. p. 74, 264: qui alio pertinere Varronis verba apud Nonium p. 531, 8 servata censuit (l. l. p. 376).

Digitized by Google

VIII.

P. Ovidium Nasonem Varronis libris usum esse in condendis fastis R. Merkelius statuit. Quem secuti sunt cum omnes, qui eidem poetae operam dederunt, tum qui post Merkelium quaesivit de Varrone Ovidii auctore, Chr. Huelsenus.[1])

Adversatus autem est iis H. Wintherus[2]): qui Varronem ab Ovidio adhibitum esse prorsus negavit omniaque, quae grammaticorum doctrinam redolent in illius carmine, ad Verrii Flacci fastos redire censuit. Ac fastos Verrianos, quorum epitoma erant fasti Praenestini, in usum vocatos esse ab Ovidio argumentis idoneis Wintherus evicit. Sed in eo errasse virum doctum credo, quod nimis multa, quae ex Verrii opere de verborum significatione excerpta legimus apud Paulum Festumque, in illius fastis quoque locum habuisse arbitratus Varronem omnino neglectum esse ab Ovidio posuit. Nam primum quidem, quod Ovidius fastos se adiisse saepius ipse dicat (Winther. p. 4 sqq.), non tanti momenti mihi videtur, quanti ille fecit. Neque enim, etsi virorum doctorum quosdam libros perlegit ad cognoscenda ea, quae carmine adornavit, hoc in illo ipso eum premere oportuit, immo minime decuit doctrinam, quae inesset in carmine, hoc modo praedicare. Aliter autem res se habet cum »*fastis*« illis, quorum Ovidius saepius meminit. Qui non erant opus grammaticae doctrinae plenum, sed tabulae, in quibus adnotati erant dies festi.[3]) Itaque eos quidem comme-

[1]) Chr. Huelsen, Varronianae doctrinae quaenam in Ovidii fastis vestigia exstent. Berol. 1880.

[2]) Herm. Winther, de fastis Verrii Flacci ab Ovidio adhibitis. Berol. 1885.

[3]) Sescenties scriptores ita utuntur verbo »*fasti*«, ubi de certo quodam libro ne cogitari quidem potest.

Digitized by Google

morare poetae optime licuit: quippe quos carmine illustrandos sibi proposuisset. Hos enim, non Verrii librum, quotienscunque fastorum mentionem Ovidius inicit, ab eo significari pro certo habeo.[1])

Praeterea Wintherus (p. 2) Ovidium, ut illi

»*nec patiens corpus nec mens fuit apta labori*«[2]),

versatum esse in libris virorum doctorum, imprimis Varronis veri dissimile esse opinatur. Fuit poeta a grammaticorum studiis maxime alienus: sed opus sibi proposuerat, quod nisi incredibili levitate aggredi vellet, res ab antiquitatum scriptoribus tractatas paulo accuratius novisse debuit. Nonne iusto iniquius iudicamus, si adeo laboris fugientem Ovidium fuisse putamus, ut ne eius quidem scriptoris libros inspiceret, quem maxime omnium his rebus studuisse omniumque facile doctissimum esse ipse certe non ignorabat, dico Varronis?

M. Terentium Varronem igitur praeter Verrium Flaccum non neglectum esse a Nasone cum re ipsa veri simile sit, idem comprobatur singulis fastorum locis. Nec vero id in animo habeo, ut hoc loco totam quaestionem retractem, ita, ut indagarim, utro ex auctore singulas res Ovidius hauserit, sed id unum egi, ut Varronis copias non omnino sprevisse poetam demonstrarem. Itaque non omnia, quae Varroni deberi in carmine Ovidiano mihi videntur, hoc loco contuli, sed in eo acquiesco, ut de paucis fastorum locis quaestiones inseram huic dissertationi, scil. de iis, quibus non unum Verrium Ovidii fontem fuisse luculentissime ostendatur. Ac primum quidem du-

---

[1]) Similiter res se habet cum »*annalibus priscis*« (I, 7; IV, 11), ubi annalium scriptores se volvisse Nasonem dicere velle vix crediderim. — Praeterea Wintherus, quamquam hoc modo ab Ovidio fontem suum indicari sibi persuasit, sententiae suae ipse non semper constitit. Nam I, 289 Ovidius ea, quae de Iano praemisit, opposuit iis, quae ad singulos dies pertinerent quaeque »*ex ipsis licuit mihi discere fastis*«. Dicit igitur poeta priora non exstitisse in fastis, scil. Verrianis, si Winthernm sequimur. Tamen vir doctus ea quoque ad Verrii Flacci fastos revocavit (p. 28).

[2]) Facile opponi poterat: »*vates operose dierum*« (I, 101, III, 177). Sed talibus argumentis nihil omnino efficitur.

Digitized by Google

abus in rebus poetam manifesto a Verrio discedere et Varronem sequi Merkelius (prolegg. p. CIII) animadvertit.[1])

Publicium enim clivum a Publiciis aedilibus plebei aedificatum esse Ovidius V, 287 canit. Idem Varro de l. L. V, 158. »*Clivus Publicius ab aedilibus plebei Publicis qui eum publice aedificarunt.*«

Contra curules aediles secundum Verrium Publicii fuerunt (Fest. p. 238b, 28). Licet hanc rem non gravissimam esse Wintherus (p. 52) recte iudicaverit: si Ovidius unum Verrium inspexit, qua causa poetam adductum esse putas, ut, cum apud illum legeret clivum Publicium a curulibus aedilibus munitum esse, plebei magistratus, id quod Varro praeposuerat, eos fuisse narraret?

De Argeis quae Ovidius V, 621 sqq. exhibet, ad Fest. p. 334 redire Wintherus (p. 53) censuit. Sed v. 627 sq. poetam imitari oraculum a Varrone traditum Hermannus Petrus (Ovid. fast. vol. II, p. 74) recte cognovit, unde totam hanc rem eum e Varrone sumpsisse efficitur.[2]) Neque ita consentit Ovidius cum Festo.[3]) Quinque enim causarum, quas hic enumerat, eandem non nisi unam Ovidius tradit (vv. 633/4 = Fest. p. 334 b, 10 sqq.). Ex alteris duabus unam narratiunculam eum sibi conflasse Wintherus coniecit, hoc modo tollens dissensum, qui ibi exstat inter Ovidium Festumque. Quartam explicationem Naso plane neglexit, a quinta eo discrepat, quod Verrius Diti patri, ipse Saturno sexagenarios immolatos esse narrat (v. 627). Aptissime autem omnia, quae Ovidius ibi cecinit, ad Varronem referri possunt. Eadem enim de hominibus Saturno immolatis,

[1]) Cf. Huels. p. 42 sq.

[2]) Quod si quis oraculum quoque illud locum habuisse in fastis Verrianis mihi obiecerit, sane non habeo quibus eum refutem. Neque enim unquam certis argumentis demonstrari potest ullam rem ibi non exstitisse. Sed vix credibile mihi videtur talia prolata fuisse in fastis Praenestinorum similibus, quos ne totam orbem antiquitatum Romanarum, sive pertinebant ad singulos dies festos sive longe aberant ab illis, complexos esse cum Winthero putemus, cavendum est.

[3]) Cf. Ehwald, Bursians Jahresber. 1885, 2, 172.

Digitized by Google

quamquam paulo uberius, Varro tradiderat, ex quo excerpsit Macrobius I, 7, 28/31.[1]) [Cf. p. 4.] Ad vv. 623/4, 633/4 cf. Varro ap. Non. p. 523, 22, ad vv. 635/60 Varro de l. L. V, 45; VII, 44.

Feralium Ovidius (II, 569) idem veriloquium profert, quod Varro probavit. Cf. Varro de l. L. VI, 13 et apud Macrobium I, 4, 14. Verrius, qui alterum praeterea veriloquium adiecit, utrum ipse praeferret, non dixit.[2]) Maxime autem mirum erat e duobus Verrii veriloquiis id potissimum Ovidium sibi elegisse, quod Varro probaverat, si eius sententia plane ignota fuisset Nasoni. Quod ne casu quodam accidisse putemus, eo impedimur, quod eadem ratio in alios quoque fastorum locos cadit.

Parilia a Pale dea Ovidius IV, 721 derivat.[3]) Atque idem Varroni placuit (de l. L. VI, 15): Verrius huic veriloquio alterum adiunxit.

Paul. p. 222, 12. »*Pales dicebatur dea pastorum, cuius festa Palilia dicebantur; vel, ut alii volunt, dicta Parilia, quod pro partu pecoris eidem sacra fiebant.*«

Vides ibi quoque Ovidium Varronis auctoritati se addixisse. Wintherus, utrum »*Parilia*« an »*Palilia*« scribendum esset, poetam suo iure non laborasse arbitratus est (p. 30). Sed non id solum agitur a Paulo, utrum *r* an *l* littera praeferenda sit in illa voce — nam Varro quoque »*Parilia*« admisit (de r. r. II, 1, 9) —, sed qua e stirpe ductum sit illud nomen et quae in eo insit vis ac sententia: quae res cur neglegenda fuerit poetae, qui saepe complures eiusmodi explicationes collegit, equidem non intellego. Praeterea non tam memorabile videtur non duplici ratione Parilium nomen illum explicasse quam ibi quoque e duobus Verrianis Varronianum potissimum veriloquium Ovidium sibi adsumpsisse.

---

[1]) Verba inde a »*ut faustis sacrificiis infausta mutarent*« non pertinent ad Argeos, sed ad Saturnalium quosdam ritus. De Argeis autem eodem loco Varronem dixisse Dionysius I, 38, 2 docet.

[2]) Paul. p. 85, 11. »*Feralia diis manibus sacrata festa, a ferendis epulis vel a feriendis pecudibus appellata.*«

[3]) Cf. Huelsen p. 44.

Digitized by Google

Quirinalis collis cur eo nomine appellatus sit, duas causas et Varro et Verrius proponunt: alteri autem cum altera magis arriserit, Ovidius unam recepit eamque, quam Varro praetulerat.

Ovid. II, 511. »*Templa deo fiunt; collis quoque dictus ab illo est.*«

De l. L. V, 51. »*Collis Quirinalis; Quirini fanum. Sunt qui a Quiritibus, qui cum Tatio Curibus venerunt Romam, quod ibi habuerint castra.*«

Fest. p. 254 b, 9. »*Quirinalis collis, qui nunc dicitur, olim egonus † appellabatur, antequam in eum commigrarent fere Sabinis † Curibus venientes post foedus inter Romulum et Tatium ictum. A quo hanc appellationem sortitus est: quamvis existiment quidam, quod in eo factum sit templum Quirino, ita dictum.*«

Cum Ovidii l. IV. vv. 631/2:

»*Forda ferens bos est fecundaque, dicta ferendo,*
Hinc etiam fetus nomen habere putant.«

Pauli interpretatio Winthero (p. 49) congruere visa est.[1]) Sed Ovidius fordi vocem dictam esse a ferendo eademque e stirpe fetum derivatum esse voluit. Verrius autem non utramque vocem a ferendo, sed fordas boves a fetu dictas esse contendit. Varro contra item, ut Ovidius, a ferendo fordum deduxit.[2])

Quirini tres notationes apud Nasonem invenis: dictum esse illum a Sabinorum hasta sive a Quiritibus sive »*quia Romanis iunxerat ille Cures.*« (II, 477 sq.) Quae veriloquia Wintherus p. 47 ad Verrium rettulit.[3]) Hunc autem solum Ovidii auctorem fuisse eo refutatur, quod, cum poeta Quirinum a Quiritibus

---

[1]) Paul. p. 83, 13. »*Fordicidis boves fordae, i. e. gravidae, immolabantur, dictae a fetu.*«

[2]) De l. L. VI, 15. »*Fordicidia a fordis bubus. Bos forda, quae fert in ventre. Quod eo die publice immolantur boves praegnantes in curiis compluris, a fordis caedendis Fordicidia dicta.*«

[3]) Paul. p. 49, 10. »*Curis est Sabine hasta. Unde Romulus Quirinus, quia eam ferebat, est dictus; et Romani a Quirino Quirites dicuntur. Quidam eum dictum putant a Curibus, quae fuit urbs opulentissima Sabinorum.*«

Digitized by Google

dictum esse ponat[1]), Verrius Quirites a Quirino appellari statuit. Varro contra hac quoque in re plane consentit cum Nasone.

De l. L. V, 73. »*Quirinus a Quiritibus.*«

Sed haec hactenus. Plura proferri posse, quibus Varronem ab Ovidio adhibitum esse appareat, equidem non nescio, sed iam paucis his quaestiunculis, quibus non semel discrepare a Verrio, concinere cum Varrone Ovidium perspeximus, id quod volui, me assecutum esse spero, scil. ne temere fecisse videar, quod in iis, quae sequuntur, ad Varronis memoriam indagandam Ovidii quoque testimonium advocavi.

---

[1]) II, 479. »*sive suo regi nomen posuere Quirites.*«

Digitized by Google

IX.

Servius ad Aen. VIII, 636 haec prodit de Consualibus: »*Raptae autem sunt Sabinae Consualibus, hoc est mense Martio. Consus autem deus est consiliorum, qui ideo templum sub circo habet, ut ostendatur tectum esse debere consilium: inde est, quod et Fidei panno velata manu sacrificabatur, quia fides tecta esse debet et velata. Ideo autem dicato Consi simulacro rapuerunt Sabinas, ut tegeretur initum de rapto consilium. Iste Consus et eques Neptunus dicitur, unde etiam in eius honorem circenses celebrantur.*«

Cf. de l. L. VI, 20; Pseudo-Asconius p. 142 Orell.

Livius I, 9 Neptuno Equestri Consualia parari tradit, de consilii deo nihil exhibet.[1])

Contra Augustinus e Varrone haec exscripsit (IV, 11, p. 161, 14 D.): »*Consus praebendo consilia.*«[2])

Eadem explicatio exstat apud Plutarchum (Rom. 14)[3]) et Tertull. de spect. 5 (= Sueton. ed. Reiffersch. p. 333).[4]) Apud utrumque autem altera quoque, quam Servius protulit (Nep-

[1]) Servii quoque interpolator ad Aen. VIII, 638 diversum putari Consum a Neptuno non commemorat.

[2]) Praeterea cf. Paul. p. 41, 15. Arnob. III, 23 (p. 127, 12 R.). Tertull. ad nat. II, 11.

[3]) »*ὠνόμαζον δὲ τὸν θεὸν Κῶνσον, εἴτε βουλαῖον ὄντα (κωνάκιον γὰρ ἔτι νῦν* etq. s.) *εἴτε ἵππιον Ποσειδῶ. καὶ γὰρ ὁ βωμὸς ἐν τῷ μείζονι τῶν ἱπποδρόμων ἐστιν, ἀφανὴς τὸν ἄλλον χρόνον, ἐν δὲ τοῖς ἱππικοῖς ἀγῶσιν ἀνακαλυπτόμενος. οἱ δὲ καὶ ὅλως φασὶν τοῦ βουλεύματος ἀπορρήτου καὶ ἀφανοῦς ὄντος ὑπόγειον οὐκ ἀλόγως τῷ θεῷ βωμὸν γενέσθαι κεκρυμμένον.*«

[4]) »*Exinde ludi Consualia dicti qui initio Neptunum honorabant. Eundem enim et Consum vocant. Dehinc Ecurria ab equis Marti Romulus dixit; quamquam et Consualia Romulo defendunt, quod ea Conso dicaverit deo, ut volunt, consilii, eius scilicet, quo tunc Sabinarum virginum rapinam militibus suis in matrimonia excogitavit.*«

Digitized by Google

tunum esse Consum), adicitur. Quo e consensu, cum Plutarchum in his rebus saepissime (per lubam) Varronem sequi constet, in Tertulliani autem capite laudato ipse Varro citetur, utramque notationem ab eo propositam esse concludere licet.[1])

Cum his autem Plutarchi (»καὶ ὅλως — κεκρυμμένον«) prorsus concinunt Serviana: *»ut ostendatur tectum esse debere consilium.«* Quod cum ita sit, Servii quoque locum e Varrone pendere videtur statuendum.

Mense Martio Consualia celebrari cum Servius dicit, confunditur hic festus, quo raptae sunt virgines, cum Matronalibus Martio mense actis, quae instituta sunt sedatis bellis.[2]) Cf. Plut. Rom. 21 ipsumque Servium VIII, 638.

[1]) Dionys. II, 31, 3 paulo recedit a ceteris; dicit enim Consualia quidem in Neptuni honorem instituta esse a Romulo, aram autem illam subterraneam postea dicatam esse *»δαίμονι ἀῤῥήτῳ τινὶ, βουλευμάτων κρυφίων ἡγεμόνι.«*

[2]) Aliter Georgius Wissowa iudicavit: qui Servii testimonium de tempore Consualium non abiciendum esse censuit. (Roschers Lex. s. v. Consus.) *»Einer Nachricht (S. VIII, 636) zufolge fanden jene Consualien, an denen die Sabinerinnen geraubt wurden, im März statt und dazu würde die ganz vereinzelte Überlieferung (Tertull. de spect. 5) stimmen, wonach Romulus die ehemaligen Consualien in Equirria, Spiele des Mars umgewandelt hätte.«* Sed dubito an vir doctissimus non recte interpretatus sit Tertulliani verba. Semper enim in eo capite voce *»dehinc«* pater utitur, cum transit ad alium festum.

»dehinc Ecurria — — — — — dehinc idem Romulus Iovi Feretrio ludos instituit. — — — post hunc Numa Pompilius Marti et Robigini fecit. — dehinc Tullus Hostilius, dehinc Ancus Martius et ceteri.« Qua re hoc quoque loco transitum ad alium festum fieri ea vocula veri simile est. Quod Neptunum initio honorasse illum ludum Tertullianus dicit, huic deo non Martem, sed Consum (i. e. deum a Neptuno diversum) opponi puto. Neque alium ludum significari Ecurriis eo redarguitur, quod post verba *»dehinc Ecurria — dixit«* Tertullianus denuo redit ad Consualia. Haec enim, ni fallor, eius sententia est: »Primi ludi (ante Romulum) erant Liberalia et Consualia, Neptuno ea quidem dicata. Postea Romulus Marti Ecurria dicavit. Alii autem Consualia quoque a Romulo demum instituta credunt nec vero Neptuno, sed Conso *»deo, ut volunt, consilii, quo Sabinarum rapinam excogitavit.«* Sane verba *»Ecurria Marti Romulus dixit«* hac sententia paulo insolentius dicta esse concedo, sed num multo minus insolenter dictum videtur, si Tertullianum iis verbis »Consualia in Martis honorem Ecurria appellavit« significare voluisse cum Wissowa statuimus?

Digitized by Google

Sequitur, ut in Servii fonte coniunctus fuerit uterque dies festus, nam aliter non tam facile scholiastes in errorem induci potuit.

Itaque nunc iam videamus, quae de Matronalium origine Varro narraverit. Cuius memoriae vestigia ut indagemus, primum quaerendum est, quem fontem Ovidius hac in re secutus sit.

Ceteras causas, quas unde poeta sumpserit non constat nec multum interest ad hanc quaestionem, praetermittam et de ea sola dicam, quam uberius Ovidius exornavit, de Sabinorum bello a mulieribus sedato.

Atque Livius quidem, quamquam consentit in singulis cum Ovidio, tamen non illius auctorem fuisse Hermannus Petrus (Ovid. fast. vol. II, p. 38)[1] recte perspexit.

Ex eo autem scriptore, quem plerumque talia Ovidio suppeditasse Wintherus demonstravit, e Verrio Flacco Nasonem ea quoque mutuatum esse equidem negaverim, cum ille nihil doceat de causa ab Ovidio maxime celebrata.

Fast. Praen. l. Mart. »*Feriae Marti Iun[o]ni Lucinae Exquiliis, quod eo die aedis ei [dedica]ta est per matronas, quam voverat Albin[ia . . . .] vel uxor si puerum . . . . [at]que ipsa[m] . . . .*« Cf. Paul. p. 147, 5.

Wintherus p. 38 sane quadratarii incuria factum esse putat, ut desiderarentur ceterae causae in fastis Praenestinis. Sed primum quidem notandum videtur Paulum quoque non nisi eam explicationem habere, quae servata est in fastis Praenestinis: vix autem credibile est casu quodam accidisse, ut et fastorum quadratarius et libri de verborum significatione epitomatores idem excerperent atque idem omitterent. Tum vero, ut causae ab Ovidio enarratae apud Verrium quoque exstiterint, certe non explicatur Wintheri coniectura, qua re poeta praetermiserit

[1] »*Diese Versammlung und die Initiative der Hersilia sowie das Mitnehmen der Kinder (v. 218) erwähnen auch Dionys. II, 35 et Plut. Rom. 19, nicht Livius; also hat hier nicht freiere Dichtung des Ovid gewaltet und Livius, trotz der Uebereinstimmung in einzelnen Ausdrücken mit Ovid, diesem nicht zu Grunde gelegen.*«

Digitized by Google

eam ipsam causam, quam Verrius maxime omnium videtur pressisse. Ea enim cur »*a Matronalibus longius afuerit, quam ut a poeta repeti posset*«, equidem non satis intellego. Sin autem praeter Verrium Ovidius alium auctorem consuluit, facile explicatur, cur neglexerit fabulam Verrianam, scil. quod alter ille auctor suam sententiam de illo festo probabiliorem esse ipsi persuasisset.[1])

Consentit autem Ovidius cum Plutarcho (Rom. 19) in eo, quod uterque Hersiliae gravissimas partes tribuerit, uterque inter acies Sabinas intervenisse tradiderit, uterque infantes illas secum habuisse narraverit. Praeterea Plutarchus, item ut Ovidius, Matronalia propter bellum a mulieribus sedatum instituta esse premit (c. 21). Quo e consensu eundem vel similem fontem ab utroque aditum esse consentaneum est. Sed Ovidius, quamquam eandem fabulam secutus est atque Plutarchus, tamen quibusdam in rebus mirum in modum concinit cum eo scriptore, qui aliter narraverat eandem rem, cum Dionysio.[2]) Nam cum Plutarchus nihil dicat de concilio feminarum ab Hersilia instituto, Dionysius similiter atque Ovidius eius rei mentionem facit.

Ov. III, 205. »*Conveniunt nuptae dictam Iunonis in aedem,*
Quas inter mea sic est nurus[3]) *orsa loqui.*«

Dionys. II, 45, 1. »*συνελθοῦσαι δ'ἐχα τῶν ἀνδρῶν εἰς ἓν χωρίον καὶ λόγον ἑαυταῖς δοῦσαι γνώμην ἐποιήσαντο συμβατηρίων ἄρξαι πρὸς ἀμφοτέρους αὐταὶ λόγων. ἡ δὲ τοῦτο εἰσηγησαμένη τὸ βούλευμα ταῖς γυναιξὶν Ἐρσιλία μὲν ἐκαλεῖτο, γένους δ' οὐκ ἀφανοῦς ἦν ἐν Σαβίνοις.*«

---

[1]) Praeterea non neglegendum est eos ipsos versus, qui »*Verrii notae aliquo modo respondent*« (Winther. p. 38), manifesto Varronis colorem referre. Cf. de. l. L. V, 49.

[2]) Dixit enim in Sabinorum castra illas venisse. — Eandem memoriam atque Plutarchus Augustinus quoque secutus est (de civ. D. III, 13).

[3]) I. e. Hersilia, Romuli uxor. — Sane Dionysius Hostilii, non Romuli uxorem illam vocavit (III, 1). Sed hoc quidem Zenodoti Troezenii memoria erat (Plut. Rom. 14). Quam in Dionysii fonte non silentio praetermissam esse coll. Dion. II, 49 exord. veri simile est.

Digitized by Google

Plut. l. l. 19. »αἱ μὲν γὰρ ἁρπασθεῖσαι θυγατέρες τῶν Σαβίνων ὤφθησαν ἀλλαχόθεν ἄλλαι« etq. s.

Praeterea cf. Ovid. v. 214. »*Maestaque funerea corpora veste tegunt*« et Dion. II, 45, 5. »ἐσθῆτας ἔχουσαι πενθίμους«, Ovid. v. 220. »*In terram posito procubuere genu*« et Dion. ibid. »προσπίπτουσαι τοῖς τῶν ἀπαντώντων γόνασι.«

Videmus non solum cum Plutarcho, sed etiam cum Dionysio Ovidio non nulla communia esse. Duas igitur fabulas fastorum auctor videtur contaminasse. Itaque aut complures scriptores volvit aut unum fontem accivit, in quo utraque ratione narrata erat illa res. Atque hoc quidem cum magis proprium videtur Ovidii naturae atque ingenii tum nescio an alia ratione comprobetur. Sed priusquam latius progrediamur, intericienda sunt hoc loco quaedam de Plutarchi Dionysiique auctoribus in his rebus expressis. Plutarchum Catonis memoriam exhibere, quae eadem exstaret apud Livium, Herm. Petrus (Quellen Plutarchs p. 156) Merkelium (p. LXXXII) secutus posuit. Sed e Livio 34, 5, 8, quo loco usus erat Merkelius, de Catonis relatione nihil concludi posse iam ipse Petrus (hist. Rom. reliq. p. CLXV) intellexit. Qua re Catonem nunc[1]) quidem missum faciamus et pro eo ponamus ignotum illum auctorem a Livio adhibitum. Sed ne huius quidem narrationem Plutarchus secutus est. Nam cum Petrus Ovidii fontem Livium fuisse suo iure negaverit (cf. p. 54, 1), eo quod desideraretur apud hunc Hersiliae et infantium mentio, ne Plutarchum quidem, in quem idem cadit atque in Ovidium, ex eodem fonte atque Livium eas res hausisse dilucide apparet ipsumque iam virum illum doctissimum sententiam olim positam mutasse persuasum habeo. Dionysium autem Merkelius l. l. in c. 45 sqq. pendere e Cn. Gellio coniecit, qui citaretur c. 31, coll. A. Gell. noct. Att. XIII, 23, 13. Et certe Dionysius simili modo atque Cn. Gellius fabulam illam narravit. Tamen exstat in ipso capite 45 vestigium quoddam, quo eun-

[1]) Nam licet concidant Merkelii rationes, tamen Catonem hac in re Livii auctorem fuisse suspicor. Sed de ea re postea.

Digitized by Google

dem fontem ac Plutarchum Dionysium quoque inspexisse elucet. Uterque enim premit unam Hersiliam maritam raptam esse a Romanis, ceteras omnes virgines fuisse, i. quod praeterea unus Servius Aen. VIII, 638 exhibet.[1])

Plut. Rom. 14. »ὃ μέγιστον ἦν ἀπολόγημα τῷ Ῥωμύλῳ· γυναῖκα γὰρ οὐ λαβεῖν, ἀλλ' ἣ μίαν, Ἐρσιλίαν.«

Dionys. II, 45, 2. »ταύτην δ' οἱ μέν φασι γεγαμημένην ἤδη σὺν ταῖς ἄλλαις ἁρπασθῆναι κόραις ὡς παρθένον.«

Laudatur eodem Plutarchi capite Zenodotus Troezenius. Atque idem Zenodotus de alia quadam re a Dionysio quoque citatur (c. 49 init.) eiusque sententia opponitur Varronianae (c. 48 extrem.). Qua e re, cum Zenodotum, scriptorem obscurissimum, aditum esse a Dionysio et Iuba (nam per Iubam haec ad Plutarchum pervenerunt, qui c. 14 laudat Mauretanum regem) vix credibile sit — nam hic quoque valent ea, quae Kiesslingius l. l. p. 41 posuit — Dionysium illius sententiam e Varrone hausisse concluserim nec temere agere mihi videor, si Plutarchum (i. e. Iubam) quoque eidem Varroni Zenodoti memoriam debere statuo, praesertim cum eum *πολλοὺς ἔχειν τοὺς ἀντιλέγοντας* ipse dixerit. Nam cum Iubam in illo capite aliam quoque rem e Varronis copiis sumpsisse iam supra (p. 53) cognoverimus, hunc sub illis *πολλοῖς* latere satis magna cum probabilitate conicias.

Servius autem, cum l. l. de Hersilia referat illud Zenodoti Troezenii (Plut. Rom. 14) (a Romulo eam in matrimonium ductam esse), profecto id deprompsit aut e Zenodoto aut certe ex eo scriptore, qui hunc expressit, e Varrone.

---

[1]) Ne quis forte putarit haec Servii quoque Cn. Gellio deberi, notandum est Romuli uxorem ibi vocari Hersiliam, i. quod unus Zenodotus Troezenius narraverat.

Plut. Rom. 14. »τὴν δ' Ἐρσιλίαν οἱ μὲν Ὁστίλιον γῆμαι λέγουσιν, ἄνδρα Ῥωμαίων ἐπιφανέστατον, οἱ δ' αὐτὸν Ῥωμύλον, καὶ γενέσθαι καὶ παῖδας αὐτῷ, μίαν μὲν θυγατέρα Πρίμαν, τῇ πάλαι τῆς γενέσεως οὕτω προσαγορευθεῖσαν, ἵνα δ' υἱὸν μόνον, ὃν Ἀόλλιον μὲν ἐκεῖνος ἀπὸ τῆς γενομένης ἐθροΐσεως ἐπ' αὐτοῦ τῶν πολιτῶν ὠνόμασεν, οἱ δ' ὕστερον Ἀβίλλιον. ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἱστορῶν Ζηνόδοτος ὁ Τροιζήνιος πολλοὺς ἔχει τοὺς ἀντιλέγοντας.«

Digitized by Google

Atque haec ibi leguntur apud Vergilii interpretem (VIII, 638): »*Intervenientibus postea triginta feminis, iam enixis, de illis, quae raptae erant, pax facta est: ex quarum nominibus curiae appellatae sunt. In communem etiam mulierum honorem kalendae eis dicatae sunt Martiae. — — — — Nec enim aliter congruit Martias kalendas esse feminarum, nisi quia, ut diximus, feminae bella sedarunt. Sane sciendum omnes virgines raptas excepta Hersilia, quam sublatam a marito sibi Romulus fecit uxorem.*«

Dionysius, quamquam mulierum legationem ipse aliter narravit, tamen Servianae quoque relationis — triginta tantum e Sabinis legationem obiisse — mentionem facit eamque — quod maxime memorabile est — opponit Varronianae, ita, ut eam quoque a Varrone adnotatam fuisse ac reiectam admodum veri simile sit.[1]) Vides vel hac ratione comprobari Varronem Servianae quoque adnotationis auctorem fuisse.

Quod si Barthius p. 41 triginta virgines raptas esse narrari a Dionysio l. l. statuit, manifesto erravit itemque, cum Varronem probasse raptarum numerum a Valerio Antiate positum arbitratus est.[2])

Rectius Theodorus Mommsenus iudicavit (die Tatiuslegende, Hermes XXI, 574, 5): »*Andre lösten die Aporie, indem sie die*

---

[1]) Dionys. II, 47. »*τινὲς μὲν γὰρ αὐτῶν (συγγραφέων) γράψουσι τά τε ἄλλα πολλὰ καὶ μεγάλα θωρήσασθαι ταῖς γυναιξὶ τοὺς ἡγεμόνας καὶ δὴ καὶ τὰς φρατρίας τριάκοντα οὔσας, ὥσπερ ἔφην, ἐπωνύμους τῶν γυναικῶν ποιῆσαι· τοσαύτας γὰρ εἶναι γυναῖκας τὰς ἐπιπρεσβευσαμένας. Οὐάρρων δὲ Τερέντιος τοῦτ' αὐτοῖς τὸ μέρος οὐχ ὁμολογεῖ πικαίτερον ἔτι λέγων ταῖς κουρίαις τεθῆναι τὰ ὀνόματα ὑπὸ τοῦ Ῥωμύλου κατὰ τὴν πρώτην τοῦ πλήθους διαίρεσιν τὰ μὲν ἀπ' ἀνδρῶν ληφθέντα ἡγεμόνων, τὰ δ' ἀπὸ πάγων· τὰς τ' ἐπὶ πρεσβείαν ἐξελθούσας γυναῖκας οὐ τριάκοντα εἶναί φησιν, ἀλλὰ πεντακοσίας τε καὶ τριάκοντα τριῶν δεουσας οἴεταί τε οὐδ' εἰκὸς εἶναι τοσούτων γυναικῶν τιμὴν ἀφελομένους τοὺς βασιλεῖς ὀλίγαις ἐξ αὐτῶν δοῦναι μόναις.*«

[2]) Plut. Rom. 14. »*ἁρπασθῆναι δέ φασιν οἱ μὲν τριάκοντα μόνας, ἀφ' ὧν καὶ τὰς φρατρίας ὀνομασθῆναι, Οὐαλλέριος δὲ Ἀντίας ἑπτὰ καὶ εἴκοσι καὶ πεντακοσίας, Ἰόβας δὲ τρεῖς καὶ ὀγδοήκοντα καὶ ἑξακοσίας παρθένους.*«

Plut. c. 20 eo concinit cum Dionysio-Varrone, quod ipse quoque curias ab illis feminis appellatas esse negaverit.

Digitized by Google

Friedensvermittelung durch 30 auserlesene Frauen und Mütter (»iam enixis« Serv.; vgl. Dionys. 2, 45) geschehen liessen. — — — Das Fundament dieser Ansetzungen, die Benennung der Curien nach den Frauennamen, bestritt Varro, liess aber zugleich die Zahl des Antias 527 insofern gelten, dass dies die der Friedensvermittlerinnen gewesen sei.« Neque enim de raptis virginibus, sed de iis, quae ἐξῆλθον ἐπὶ πρεσβείαν illo Dionysii capite agitur. Qui et in c. 45 non omnes — 683 raptas esse II, 30 narraverat — sed partem tantum earum legationem gessisse tradidit.

Dion. II, 45, 4. »ὅσαι τοῦ Σαβίνων γένους ἦσαν ἔχουσαι τέκνα, ταύταις ἐξουσίαν εἶναι καταλιπούσαις τὰ τέκνα παρὰ τοῖς ἀνδράσι πρεσβεύειν ὡς τοὺς ὁμοεθνεῖς.«

Qua re haec ex eodem auctore profecta esse atque c. 47 satis patet, praesertim cum Dionysius ibi optime concinat cum iis, quae e Servio Varroni vindicavimus. Uterque enim eas feminas, quae iam enixae essent, pacem inter Romanos Sabinosque conciliasse dixit.[1])

Itaque hoc quoque in capite, cuius consensum cum Plutarcho supra (p. 57) observavimus, Varronis vestigium deprehendimus.[2])

Breviter referam, quae effecisse mihi videor:

1) Ovidius aut complures auctores inspexit aut eum fontem adhibuit, quo coniunctae erant duae illius fabulae formae (i. e. Plutarchi et Dionysii). Cf. p. 55 sq.

---

[1]) Varro igitur, etsi sententiam eorum reiecit, qui triginta illas fuisse rettulerant (Serv. l. l.), aliumque numerum ipse posuit (Dion. II, 47), tamen causam, cur non omnes legationis munus administrassent, sed eae potissimum electae essent, eandem atque illi probavit (Dion. II, 45).

[2]) Alterum numerum, qui Iubae tribuitur a Plutarcho c. 14 (683), e Dionysio illum sumpsisse Kiesslingius (mus. Rhen. 23, 673) et Herm. Petrus (König Iuba p. 10) statuerunt. Quod nunc minus certum mihi videtur. Nam postquam secundum Varronem 527 non raptarum numerum fuisse perspeximus, veri simile est 683 esse numerum a Varrone probatum, quoniam de alio praeterea nihil omnino traditur. Itaque fieri potuit, ut Iuba eum numerum non e Dionysio, sed uterque e Varrone depromeret.

Digitized by Google

2) Ovidium Varronis libros consuluisse octavo dissertationis capite demonstravi (p. 46 sqq.).

3) Plutarchus (= Iuba) eodem fonte usus est ac Dionysius (p. 56 sq.).

4) Et apud Dionysium et apud Plutarchum certissima Varronis vestigia inveniuntur (p. 53, 57, 58, 59).

Nonne manifestum est et Ovidium et Dionysium et Iubam omnes ad eundem auctorem redire eumque, qui fere semper complurium sententias discrepantes colligere solitus est, ad Varronem?

Atque apud ipsum Plutarchum, ni fallor, vestigium exstat, quo duplicem fabulam eum in fonte suo invenisse comprobetur. Miro enim modo apud eum Hersiliae nomen non nisi peracta tota re enarrataque oratione apparet, cum ante omnino tacuerit Hersiliam habuisse eam orationem. Qua e re nescio an concludere liceat Hersiliae nomen non pertinuisse ad eam relationem, quam Plutarchus ceterum secutus est (eamque Livianae similem), sed ad alteram illam, quae praeterea tradita fuit apud Varronem, i. e. Gellianam (p. 56). Cui rei etsi non permagnam demonstrandi vim tribuerim — qua de causa non nisi peracta tota quaestione eam commemoro — tamen, cum accedat ad cetera, quae exposui, ea quoque sententiam nostram vel magis firmari puto.

Duarum narrationum, quas Varro contulerat, alteram Cn. Gellio deberi vidimus. Iam dicam, cur, etsi reiecimus Merkelii rationes, tamen ad Catonem alteram, quam Livius quoque amplectitur, redire equidem suspicor.

Coniunctam legimus M. Porcii Catonis atque Cn. Gellii de Sabinorum origine sententiam apud Servii interpolatorem ad Aen. VIII, 638.[1]) Eandem quoque rem Dionysius exhibet (II, 49), qui unum Catonem laudat eiusque sententiam opponit Zeno-

[1]) »*Cato autem et Gellius a Sabo Lacedaemonio trahere eos originem referunt.*«

Ovidius quoque (fast. I, 260, III, 230) eandem memoriam sequi videtur.

Digitized by Google

doti opinioni.[1]) Atque idem de Sabinis e Lacedaemoniis ortis Plutarchus (Num. 1) profert, qui Varronis vestigiis eo in capite ingreditur.[2]) Zenodoti autem memoriam per Varronem Dionysio innotuisse supra (p. 57) cognovimus: hunc igitur e Varrone ibi pendere certum est. Quod cum ita sit, e Dionysii Plutarchique consensu Catonis quoque sententiam Varronem adnotasse concludo. Itaque Dionysius aut Zenodoti Catonisque mentionem e Varrone hausit aut — atque id magis mihi arridet, quod ampliora videntur Catoniana apud eum l. l., quam ut e Varrone omnia haec exscripta esse veri simile sit — utriusque opiniones cum apud Varronem commemoratas invenisset, eo, ut ipsum Catonem inspiceret atque expilaret, adductus est. Catonis autem de Sabinorum stirpe memoriam postquam Plutarchum ac Dionysium e Varrone cognovisse intelleximus, cum Cn. Gellium ab hoc expressum esse in Sabinorum rebus enarrandis iam supra nobis persuaserimus, non

---

[1]) Sane ipsi Catoni aliud Dionysius tribuit. Dicit enim secundum illum a Sabo, Sanci filio, deo patrio Sabinos appellatos esse; tum pergit: »ἔστι δέ τις καὶ ἄλλος ὑπὲρ τῶν Σαβίνων ἐν ἱστορίαις ἐπιχωρίοις λεγόμενος λόγος ὡς Λακεδαιμονίων ἐποικησάντων« etq. s.

Qua de causa Iordanus (prolegg. ad Catonem p. XXVI sq.) arbitratus est Dionysium nihil relatum invenisse apud Catonem de Lacedaemonio gentis auctore, sed Vergilii scholiastam perperam Hygini — is enim laudatur eodem scholio — doctrinam M. Porcio imputasse. Sed rectius de Dionysii interpolatorisque locis Hermannus Petrus iudicavit: qui utramque famam, quam prodidit Dionysius, e Catone fluxisse minusque accurate sola priora ad Catonis auctoritatem relata esse suo iure censuit. Cf. H. Peter, vett. hist. Rom. reliq. p. CXXXX.

[2]) Cf. Reuss. l. l. p. 22. Barthius p. 26 primum Numae caput a c. 8 non recte seiunxit. Neque enim Plutarchus capite primo, ut Reussius optime exposuit, infitiatur similitudinem quandam intercedere inter Pythagorae Numaeque praecepta, sed iis tantum adversatur, qui regem discipulum fuisse Pythagorae sibi persuaserant. Cui rei non repugnat, quod capite octavo singulas colligit similitudines (cf. c. 22) eorumque, quorum sententiam capite primo improbaverat, commemorat argumenta. Sed ne octavo quidem capite tacuit multis controversiis eam rem obnoxiam esse. Hoc autem caput e Varrone originem accepisse Herm. Petrus (Quellen Plutarchs. p. 164) satis probavit. Quod de Castore quoque idem vir doctus cogitavit, cf. Barth. p. 30.

Digitized by Google

nimium nobis sumere videmur, si etiam Hyginum, Varronis alias quoque expilatorem, qui eas res Servio suppeditavit, per eundem auctorem haec assecutum esse ponimus.

Quod si recte facimus, Varronem ea, quae Cn. Gellius et M. Porcius senserunt de eadem re, composuisse apparet. Hoc autem modo, si alia in re eiusdem generis — quae ipsa quoque pertinet ad Sabinos — utriusque illorum sententias coniunxit, et in fine belli enarrando, ubi duarum relationum, quas exhibuit, alteram Gellianam esse constat, alteram Catoni deberi, si minus certum, tamen probabile puto.

Nec difficile explicatur, cur Ovidius et Plutarchus alteram, alteram Dionysius fabulam sibi assumpserit. Nimirum poetae magis arrisit inter acies hostium se proripere virgines, qua in re pingenda maiorem vim poeticam maiusque πάθος adhibere potuit quam si simpliciter in castra Sabinorum eas profectas esse cecinisset. Idemque cadit in Plutarchum, quem illum ipsum quoque animis commovendis ibi studere Reussius l. l. p. 18 recte perspexit.

Contra Dionysius, homo ieiunior, etsi rhetor ille quoque, saniorem relationem sibi ascivit eamque, quae veri similior visa est viro historico.

Digitized by Google

X.

Servius in commentariis ad Vergilii Aeneidem haud pauca profert de Italiae oppidis regionibusque: quorum cum partem ipse Varroni tribuat, alia eiusdem doctrinam manifesto redolent, alia quo ex auctore pendeant, dubium adhuc restat. Qua re non inutile videtur paulo accuratius quaerere de singulis illis locis.

Antemnarum veriloquium, quod exhibet Serv. ad Aen. VII, 631[1]), Varroni deberi e libro de l. L. V, 28 cognoscimus[2]). Coniunguntur ibi a Varrone Antemnae cum alio quodam oppido, cum Interamna. Utriusque autem veriloquium invenitur apud Paul. p. 17, 6[3]).

Verrius cum libros de l. L. non adhibuerit, alio loco praeterea Varronem de eadem re verba fecisse apparet nec re ipsa veri dissimile est idem in antiquitatum libris de locis exstitisse. Servium quamquam ex antiquitatibus, non e libro de l. L. ea deprompsisse non inde efficitur, quod scholiastae verba non plane consentiunt cum Varronis l. l. — nam fere nunquam ad verbum[4]) exscripsit auctorem suum — tamen illum ipsum quoque antiquitatum libros expilasse infra fortasse

---

[1]) »*Antemnae autem dictae sunt, quod eas amnis praeterfluit, quasi ante amnem positae.*«

[2]) »*Oppidum Interamna dictum, quod inter amnis est constitutum; item Antemnae, quod ante amnis, qui Anio, influit in Tiberim.*«

[3]) »*Interamnae et Antemnae dictae sunt, quod inter amnes sint positae vel ante se habeant amnes.*«

[4]) Cf. Laemmerhirtium in comm. phil. Ienens. IV, p. 360 sq.

Digitized by Google

elucebit. Nunc hac quidem quaestione praetermissa prius inspiciamus ceteros similes locos genuini Servii.[1])

Circeium montem a Circe dictum esse ac quondam insulam fuisse e Varrone protulit scholiastes ad III, 386[2]). Cf. Serv. VII, 10; Plin. III, 57[3]).

De Ilva insula haec Varroniana exstant apud Serv. X, 174. »*Varro et aliud dicit nasci quidem illic ferrum, sed in stricturam non posse cogi, nisi transvectum in Populoniam, Tusciae civitatem.*« Cf. Plin. 34, 142[4]).

Ad Aen. I, 532 de nomine Oenotriae ab Oenotro rege deducto, ad VIII, 322 de Latii veriloquio, ad V, 411 (cf. I, 570) de Eryce monte[5]), ad I, 246 de Timavo[6]) Servius Varronem laudavit.

Cum iis, quae de Iuturna fonte Servius ad Aen. XII, 139 adscripsit, cf. de l. L. V, 71.

Ad Aen. VII, 712 de Velino lacu Varronem scholiastes advocavit: „*Velinus lacus est [circa Reate] iuxta agrum, qui Rosulanus vocatur. Varro tamen dicit locum hunc a quodam consule in Narem vel Nartem fluvium derivatum — nam utrumque dicitur — esse diffusum. Post quod tanta est loca secuta fertilitas, ut etiam perticae longitudinem altitudo superaret herbarum: quin etiam quantum per diem demptum esset, tantum per noctem crescebat.*« [7]) Cf. Serv. ad Ge. II, 201.

[1]) Nam cum hoc solo, non cum interpolatore nunc mihi res est.

[2]) Cf. Strabo V, 232 (p. 319, 26 Mein.). »*Μετὰ δ' Ἄντιον τὸ Κιρκαῖόν ἐστιν ἐν διακοσίοις καὶ ἐνενήκοντα σταδίοις ὄρος νησίζον θαλάττῃ τε καὶ ἕλεσι φασὶ δὲ καὶ πολέμιζον εἶναι, πάχει τῷ μέθῳ τῷ περὶ τῆς Κίρκης συνοικειοῦντες. ἔχει δὲ πολίχνιον καὶ Κίρκης ἱερὸν καὶ Ἀθηνᾶς βωμόν, δεῖκνυσθαι δὲ καὶ φιάλην τινὰ φασιν Ὀδυσσέως.*« Strabonis locos cur addam, infra dicturus sum.

[3]) Cf. Reitzenstein, d. geogr. Bücher Varros (Hermes XX) p. 544.

[4]) Plinius l. l agit de illa insula, sed frustra apud eum quaeres, quae Servius l. l. ei imputavit. Cf. Laemmerhirt. l. l. p. 377. Accuratius de his verbis Plinio falso tributis infra dicendum erit.

[5]) Cf. Pomp. Mel. II, 119. — [6]) Plin. III, 151.

[7]) Recte autem Reitzensteinius l. l. p. 539 statuit Servium male intellexisse, quae legerat apud auctorem suum. Cf. de r. r. I, 7, 10: quem locum Plinius XVII, 32 expressit.

Digitized by Google

Quibuscum conferas Plin. III, 108. »*Sabini, ut quidam existimavere, a religione et deum cultu Sebini appellati*[1]*), Velinos accolunt lacus, roscidis collibus. Nar amnis exhaurit illos sulphureis aquis Tiberim ex his petens.*«

Paul. p. 283, 3. »*Rosea in agro Reatino campus appellatur, quod in eo arva rore humida semper seruntur.*«

Baias a Baio Ulixis socio nominatas esse Serv. VI, 107 narrat. »*A Baio socio eius* (Ulixis) *illic mortuo Baias constat esse nominatas.*«[2])

Quae Varroni deberi Servii interpolator ad Aen. IX, 707 docet. »*Varro a Baio Ulixis comite, qui illic sepultus est, Baias dictas tradit.*«

De Aeoli insulis haec Varroniana invenis apud Serv. I, 52. »*Aeoliam venit] novem (l. septem)*[3]*) insulae, quae sunt post fretum Siciliae, appellantur Aeoliae ab Aeolo rege, Hippotae filio, licet habeant et propria nomina. Poetae quidem fingunt hunc regem esse ventorum, sed, ut Varro dicit, rex fuit insularum, ex quarum nebulis et fumo Vulcaniae insulae praedicens futura flabra ventorum imperitis visus est ventos sua potestate retinere.*« Cf. Plin. III, 93/94.

Amyclas a serpentibus deletas esse Serv. X, 564 tradidit. »*Inter Caietam et Terracinam oppidum constitutum est a Laconibus, qui comites Castoris et Pollucis fuerunt, et ab Amyclis, provinciae Laconicae civitate, ei inditum nomen est. Lacones itaque isti cum secundum Pythagoream sectam a caede omnium animalium abstinerent et ex vicinis paludibus natas serpentes occidere nefas putarent, ab iisdem interempti sunt.*« Idem autem Plinius commemorat, M. Varronem auctorem laudans.

Plin. VIII, 104. »*M. Varro auctor est — — — in Italia Amynclas a serpentibus deletas.*« Cf. III, 59.

Apud Serv. XI, 271 haec leguntur: »*Diomedis socios con-*

[1]) Cf. Varro ap. Festum p. 343b, 32.

[2]) Cf. Strabo V, p. 245 (p. 337, 20 Mein.). »*τὰς δὲ Βάιας ἐπωνύμους εἶναι λέγουσι Βάιον τῶν Ὀδυσσέως ἑταίρων τινὸς.*«

[3]) »*Septem*« ipsius Servii codices exhibent ad VIII, 416; 454.

Digitized by Google

stat in aves esse conversos post ducis sui interitum, quem extinctum impatienter dolebant. Hae aves hodieque Latine Diomedeae vocantur, Graece ἐρωδιοὺς dicunt. Habitant autem in insula, quae est haud longe a Calabria, in conspectu Tarentinae civitatis. Quin etiam de his avibus dicitur, quod Graecis navibus laetae occurrant, alienas vehementer fugiant, memores et originis suae et quod Diomedes ab Illyriis interemptus est.« Quae ad Varronem redire elucet coll. Augustino de civ. D. 18, 16 (= de gente p. R. III, 1 ed. Kettner). »*Diomeden fecerunt deum, quem poena divinitus irrogata perhibent ad suos non revertisse; eiusque socios in volucres fuisse conversos non fabuloso poeticoque mendacio, sed historica adtestatione confirmant. — — — Quin etiam templum eius esse aiunt in insula Diomedea, non longe a monte Gargano, qui est in Apulia, et hoc templum circumvolare atque incolere has alites tam mirabili obsequio, ut aquam impleant et aspergant; et eo si Graeci venerint vel Graecorum stirpe prognati, non solum quietas esse, verum et insuper adulare; si autem alienigenas viderint, subvolare ad capita tamque gravibus ictibus, ut etiam perimant, vulnerare. Nam duris et grandibus rostris satis ad haec proelia perhibentur armatae.*« Cf. XVIII, 18 extr.

Neque hac in re Plinii testimonio destituimur, immo ea quoque, quae ille exhibet, plane consentiunt cum Varronianis. Plin. X, 127. »*Uno hae in loco totius orbis visuntur, in insula, quam diximus nobilem Diomedis tumulo atque delubro, contra Apuliae oram, fulicarum similes. Advenas barbaros clangore infestant, Graecis tantum adulantur miro discrimine, velut generi Diomedis hoc tribuentes, aedemque eam cotidie pleno gutture madentibus pennis perluunt atque purificant, unde origo fabulae Diomedis socios in earum effigies mutatos.*« Cf. III, 151.

III, 104 alia quaedam Plinius profert de Diomede[1]): quae non minus quam cetera apud scholiastam quoque leguntur.

[1]) »*Arpi aliquando Argos Hippium Diomede condente, mox Argyrippa dictum. Diomedes ibi delevit gentes Monadorum Dardorumque et urbes duas, quae in proverbi ludicrum vertere, Apinam et Tricam.*«

Digitized by Google

Serv. XI, 246. »*Diomedes fuit de civitate, quae Argos Hippion dicitur. — — — Hic in Apulia condidit civitatem, quam patriae suae nomine appellavit et Argos Hippion dixit: quod nomen postea vetustate corruptum est, et factum [est], ut civitas Argyrippa diceretur: quod rursus corruptum Arpos fecit.*«

Serv. VIII, 9. »*Diomedes, postquam repperit ira Veneris a se vulneratae uxorem apud Argos turpiter vivere, noluit reverti: sed tenuit partes Apuliae et edomita omni montis Gargani multitudine in eodem tractu civitates plurimas condidit. Nam et Beneventum et Equumtuticum ipse condidit et Arpos, quae et Argyrippa dicitur. — — — (Sane sciendum Apuliam uno dictam vocabulo, sed huius partem, quam Diomedes tenuit, Messapiam et Peucetiam a duobus fratribus dictam, qui illic imperarunt:)*[1]) *item Dauniam a Dauno rege Apuliae.*« Cf. VII, 286.

Fere idem autem, etsi misere decurtatum, e Verrio Paulus servavit.[2]) Ac ne id quidem, quod de Dauno rege scholiastes magis strinxit quam narravit, desideratur apud Paulum[3]) idemque tangitur a Plinio III, 103.[4]) Cf. Ovid. fast. IV, 76.

Servii scholion ad Aen. II, 781 (de Tuscis) e Varrone petitum esse supra (p. 37 sqq.) demonstravi nec non illius concentum notavi cum Verrio et Plinio.[5])

---

[1]) Servii verba, quae uncinis ( ) inclusi, dissentiunt a Plinio III, 99.

[2]) Paul. p. 75, 5. »*Diomedis campi in Appulia appellantur, qui ei in divisione regni, quam cum Dauno fecit, cesserunt.*«

Ibid. »*Diomedia insula, in qua Diomedes sepultus est, excedens Italia.*«

[3]) Paul. p. 69, 1. »*Daunia Appulia appellatur a Dauno, Illyricae gentis claro viro, qui eam, propter domesticam seditionem excedens patria, occupavit.*«

[4]) Cf. Strabo VI, p. 283 sq. (p. 390, 3 Mein.). »*ἐκαλεῖτο δ' ἐξ ἀρχῆς Ἄργος Ἵππιον, εἶτ' Ἀργυρίππα, εἶτα νῦν Ἄρποι. λέγονται δ' ἀμφότεραι Διομήδους κτίσματα καὶ τὸ πεδίον καὶ ἄλλα πολλὰ δείκνυται τῆς Διομήδους ἐν τούτοις τοῖς τόποις δυναστείας σημεῖα, ἐν μὲν τῷ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερῷ τῆς ἐν Λουκερίᾳ παλαιὰ ἀναθήματα (καὶ αὕτη δ' ἔπεῤῥξε πόλις ἀρχαία Δαυνίων, νῦν δὲ τετραπέντωται), ἐν δὲ τῇ πλησίον θαλάττῃ δέο νῆσοι Διομήδεια προσαγορευόμεναι, ὧν ἡ μὲν οἰκεῖται, τὴν δ' ἐρήμην φασὶν εἶναι· ἐν ᾗ καὶ τὸν Διομήδη μυθεύουσιν ἀφανισθῆναί τινες καὶ τοὺς ἑταίρους ἀπορριφθῆναι καὶ δὴ καὶ νῦν διαμένειν ἡμίρους καὶ βίον τινὰ ζῆν ἀνθρώπινον τάξει τε θαλάττης καὶ τῇ πρὸς ἀνθρώπους ἡμερότητι τοὺς ἐπιεικεῖς, ἀπὸ δὲ τῶν κακούργων καὶ μιαρῶν φυγῇ.*«

[5]) Cf. Strab. V, 219 (p. 300, 20 M.). »*οἱ Τυῤῥηνοὶ τοίνυν παρὰ τοῖς*

Digitized by Google

Serv. II, 116. »*Agnovit (Iphigenia) fratrem Oresten, qui accepto oraculo carendi furoris causa cum amico Pylade, [a cuius patre, Strophio nomine, fuerat nutritus], Colchos petierat, et cum his occiso Thoante simulacrum sustulit absconditum fasce lignorum: unde et Facelitis dicitur, non tantum a face, cum qua pingitur, propter quod et Lucifera dicitur: et Ariciam detulit. Sed cum postea Romanis sacrorum crudelitas displiceret, quamquam servi immolarentur*« etq. s.

Serv. VI, 136. »*Orestes post occisum regem Thoantem in regione Taurica cum sorore Iphigenia, ut supra* (II, 116) *diximus, fugit et Dianae simulacrum inde sublatum haud longe ab Aricia collocavit. In huius templo post mutatum ritum sacrificiorum fuit arbor quaedam, de qua infringi ramum non licebat. Dabatur autem fugitivis potestas, ut si quis exinde ramum potuisset auferre, monomachia cum fugitivo templi sacerdote dimicaret: nam fugitivus illic erat sacerdos ad priscae imaginem fugae. Dimicandi autem dabatur facultas quasi ad pristini sacrificii reparationem.*«

Quae e Varrone sumpta esse concludo conferens Prob. praef. ad Vergilii Buc. (p. 3, 13 ed. Keil.). »*Orestes post parricidium furens responso didicit, quod deponeret furorem ita demum, si reperta sorore Iphigenia ablueretur fluvio, quod septem fluminibus confunderetur.*[1] *Diu vexatus cum Tauricae Iphigeniam reperisset, venit ad fines Rheginorum ibique invento flumine elutus traiecit in Siciliam et iuxta Syracusas somno admonitus simulacrum deae, quod secum de Taurica advexerat, templo posito consecravit, quam appellavit Fascelitim sive quod fasce*

Τωμαίοις Ἐτροῦσκοι καὶ Τοῦσκοι προσαγορεύονται. οἱ δ' Ἕλληνες οὕτως ὠνόμασαν αὐτοὺς ἀπὸ τοῦ Τυρρηνοῦ Ἄτυος, ὥς φασι, τοῦ στείλαντος ἐκ Λυδίας ἐποίκους δεῦρο. ἐπὶ γὰρ λιμοῦ καὶ ἀφορίας ὁ Ἄτυς, εἷς τῶν ἀπογόνων Ἡρακλέους καὶ Ὀμφάλης, δυεῖν παίδων ὄντων, κλήρῳ Λυδὸν μὲν κατέσχε, τῷ δὲ Τυῤῥηνῷ τὸν πλείω συστήσας λαὸν ἐξέστειλεν. ἐλθὼν δὲ τήν τε χώραν ἀφ' ἑαυτοῦ Τυρρηνίαν ἐκάλεσε καὶ δώδεκα πόλεις ἔκτισεν« etq. s.

Strabo quoque eo ab Herodoto dissentit, quod Lydum Tyrrhenumque, non Tyrrhenum et Atyn sortientes inducit (cf. p. 38).

[1] Verba »*fluvio — confunderetur*«, quae omissa sunt in cod. Vaticano et Parisino, Keilius addidit ex Egnatii editione.

Digitized by Google

lignorum tectum de Taurica simulacrum extulisset etq. s. — — — *Huius autem fluminis, apud quod purgatus est Orestes, Varro meminit Humanarum XI.*«

Idem vero de Dianae simulacro ab Oreste Ariciam delato idemque de sacerdote illo fugitivo Lucani scholiastes Bernensis tradidit. Qui cum alia quoque Varronianae doctrinae frustula quaedam servarit, etiam haec ex eodem auctore arcessita esse haud temere statuas.[1]) Cf. Comm. Bern. ed. Usener. III, 86 et VI, 74. Adde Solinum 2, 11.

Servius VII, 563. »*Hunc locum umbilicum chorographi dicunt. Est autem in latere Campaniae et Apuliae, ubi Hirpini sunt et habet aquas sulphureas, ideo graviores, quia ambitur silvis. Ideo autem ibi aditus esse dicitur inferorum, quod gravis odor iuxta accedentes necat, adeo ut victimae circa hunc locum non immolarentur, sed odore perirent ad aquam adplicatae. Et hoc erat genus litationis. Sciendum sane Varronem*[2]) *enumerare, quot loca in Italia sint huiusmodi.*« [antiq. rer. hum. XI, 6 Mirsch.]

Erat autem illo loco, cuius Servius mentionem facit, aedes Mephitis, id quod Servius tacuit, Plinius II, 208 Varronem secutus narravit (cf. p. 70). De Mephiti autem cum Servius egerit ad Aen. VII, 84, ea quoque Varroni adiudicanda videntur.

»*Mephitis proprie est terrae putor, qui de aquis nascitur sulphuratis et est in nemoribus gravior ex densitate silvarum. Alii Mephitin deum volunt Leucotheae conexum, sicut est Veneri Adonis, Dianae Virbius. Alii Mephitin Iunonem volunt, quam aërem esse constat. Novimus autem putorem non nisi ex corruptione aëris nasci, sicut etiam bonum odorem de aëre incorrupto, ut sit Mephitis dea odoris gravissimi, i. e. grave olentis.*«[3])

---

[1]) Strabo p. 239 (p. 329, 19 Mein.). »*τῆς δ' Ἀρικίνης τὸ ἱερὸν λέγουσιν ἀφιδρυμά τι τῆς Ταυροπόλου· καὶ γάρ τι βαρβαρικὸν χρατεῖ καὶ Σκυθικὸν περὶ τὸ ἱερὸν ἔθος. καθίσταται γὰρ ἱερεὺς ὁ γενηθεὶς αὐτόχειρ τοῦ ἱερωμένου πρότερον φυγὰς ἀνήρ· ξιφήρης οὖν ἐστιν ἀεὶ περισκοπῶν τὰς ἐπιθέσεις, ἕτοιμος ἀμύνεσθαι.*«

[2]) Scil. Reatinum. Cf. Kettner, varr. Stud. p. 21.

[3]) Verba »*alii Mephitin — Virbium*« ipsa quoque Varroniana sint necne, in dubio relinquo. Pro certo non nisi priora illi restituere ausim.

Digitized by Google

Dixit autem Servius VII, 563 enumerare Varronem »*quot loca in Italia sint huiusmodi.*«

Quod cum ita sit, ceteros quoque Servii adnotationes, ubi de eiusmodi regionibus loquitur, ad eundem auctorem referre licet.

Ac primum quidem similis locus erat ad Soractem montem. De quo Servius ad Aen. XI, 785: »*Soractis mons est Hirpinorum in Flaminia conlocatus. In hoc autem monte cum aliquando Diti patri sacrum persolveretur — nam [diis] manibus consecratus est — subito venientes lupi exta [de igni] rapuerunt. Quos cum diu [pastores] sequerentur, delati sunt ad quandam speluncam, halitum ex se pestiferum emittentem, adeo ut iuxta stantes necaret: [et] exinde est orta pestilentia, quia fuerant lupos secuti. De qua responsum est posse eam sedari, si lupos imitarentur, i. e. de rapto viverent. Quod postquam factum est, dicti sunt ipsi populi Hirpi Sorani: nam lupi Sabinorum lingua vocantur hirpi.*[1]) *Sorani vero a Dite: nam Ditis pater Soranus vocatur: quasi lupi Ditis patris.*«[2])

Ac re vera Varronem de hoc monte dixisse Plinius auctor est. Plin. 31, 27. »*Necari aquis Theopompus et in Thracia apud Cychros dicit, Lycos in Leontinis tertio die quam quis biberit, Varro ad Soracten in fonte, cuius sit latitudo IV pedum. Sole oriente eum exundare ferventi similem, aves, quae degustaverint, iuxta mortuas iacere.*« [l. XI, fr. 9. Mirsch.]

Cf. Plin. II, 207/8, qui locus, etsi Varronis nomen tacetur,

Cf. p. 71, 6. Tamen ea quoque, quae de Iunone-Mephiti Servius addidit, Varronem resipiunt, quem Iunonem aërem esse docuisse scimus. (Aug. IV, 10 init., Arnob. III, 30.)

[1]) Cf. Paul. p. 106, 1.

[2]) In verbis »*i. e. de rapto viverent*« scholiastae doctrinam Iordanus (krit. Beitr. zur Gesch. d. lat. Sprache p. 163) recte agnovit. Quae de sensu eorum disseruit vir doctissimus, ea, quamvis videantur veri similia, probare impedior verbis »*de igni*«, quae cur adiecisset interpolator, Iordanus non explicavit. Equidem putaverim interpolatorem legisse in fonte suo — scil. eodem vel simili atque is, quem genuinus Servius expressit — suasisse oraculum, ut illi lupos imitarentur, i. e. ipsi quoque ignes transilirent. Quem ritum ea in regione exstitisse constat.

Digitized by Google

ad huius auctoritatem sine dubio revocandus est coll. 31, 27.[1]) De agro Puteolano, cuius Plinius ibi meminit, cf. de l. L. V, 25, Fest. p. 218a, 2.

Plin. VII, 19. »*Haud procul urbe Roma in Faliscorum agro familiae sunt paucae, quae vocantur Hirpi. Hae sacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini, super ambustam ligni struem ambulantes non aduruntur et ob id perpetuo senatus consulto militiae omniumque aliorum munerum vacationem habent.*«[2])

Praeterea conferenda sunt, quae Servius ad Aen. XI, 787 rettulit Varroniana. »*Varro, ubique expugnator religionis, ait, cum quoddam medicamentum describeret, ut solent Hirpini*[3]*), qui ambulaturi per ignes medicamento plantas tingunt.*«[4])

Simili modo mortifer erat lacus Avernus. De quo Servius ad Aen. III, 442[5]) haec prodit: »*Lacus ante silvarum densitate sic ambiebatur, ut exhalans inde per angustias aquae sulphureae odor gravissimus supervolantes aves necaret: unde Avernus dictus quasi* Ἄορνος.«[6])

---

[1]) Cf. Varronem apud Isidorum XIV, 9, 2 (= l. XI, 7 Mirsch). Quem locum e Plinio Servioque compilatum esse dubito an non recte Kettnerus (varronische Studien p. 20) sibi persuaserit. Quamquam ipsas antiquitates Isidorum legisse ne ego quidem credo. Fortasse, ut Kettnerus p. 21 coniecit, uberius scholion ad VII, 568 patri praesto fuit.

[2]) Quod apud Plinium Apollo, apud Servium Dispater commemoratur, inde cave ex alio auctore Servii atque Plinii verba manasse elicias. Nam in Vergilii quoque versu, quem scholiastes his verbis illustravit (XI, 785), Apollo nominatur. Itaque Servius omnino non potuit Vergilii versum commentatus dicere de Dite patre, nisi eadem putari ea numina in fonte suo invenisset.

[3]) »*Hirpi*« Salmasius coniecit.

[4]) Ea quidem ex alio Varronis opere atque cetera sumpta videntur (disciplinarum lib. de medicina?).

[5]) Cf. Serv. ad Aen. III, 386; VI, 202.

[6]) Notanda est verborum similitudo, quae intercedit inter Serv. VII, 84, VII, 563, III, 442.

III, 442. »*silvarum densitate sic ambiebatur.*«

VII, 563. »*graviores quia ambitur silvis.*«

VII, 84. »*gravior ex densitate silvarum.*«

Quodsi quis miratur Varronem uno quoque loco iisdem verbis usum esse,

Digitized by Google

Quae item Varroniana esse cum ratiocinatione supra exposita probatur tum firmatur a Plinio.

Plin. 31, 21. »*Coelius* (tradit) *apud nos in Averno etiam folia subsidere, Varro aves, quae advolaverint, emori.*«[1])

Breviter ea complectamur, quae adhuc nobis apparuerunt:

1) Servius plerumque in iis, quae de Italia scholiis inseruit, Varronis vestigia pressit.

2) Saepius his locis consentit cum Plinio et Festo Paulove.

Iam vero eorum meminerimus, quae Reitzensteinius rectissime disputavit de Varrone Plinii et Verrii in rebus chorographicis auctore. Qui l. l. p. 536 posuit haec:

»*Da für Plinius eine weitgehende, für Verrius eine ausschliessliche Benutzung der antiquitates wenigsten wahrscheinlich ist, so haben wir, wenn sich eine beiden gemeinsame Quelle nachweisen lässt, ein Recht, das genannte Werk als dieselbe zu betrachten.*«[2])

Quid vero? Servium postquam Varronianae doctrinae chorographicae non minus arte quam Plinium Verriumque se adplicasse optimeque haud paucis locis congruere cum illis cognovimus, num audacius agere videmur, si idem, quod Reitzensteinius de Verrio ac Plinio nobis persuasit, in Servium quoque cadere statuimus? Minime, credo: immo aliter vix explicari poterit consensus inter Varronem, Servium, Plinium, Verrium.

Hac autem sententia probata duas res lucramur. Nam primum quidem ea quaestio, quam supra (p. 64) reposuimus,

---

id hoc modo explicaverim: dixit ille de Italiae locis mortiferis. Itaque certe prius exposuit, quae esset natura omnium harum regionum, tum singulos locos enumeravit. Servius autem sive is, qui Servio Varronianam memoriam suppeditavit, ad unum quemque locum ea exscripsit, quae ille de omnibus praemiserat.

[1]) Cf. Strabo p. 244 (p. 336, 6 Mein.). »*παρασημαίνονται δ' οἱ ἐπιχώριοι καὶ τοὺς ὄρνιθας τοὺς ἐπιφερεῖς γινομένους καταπίπτειν εἰς τὸ ὕδωρ φθειρομένους ὑπὸ τῶν ἀναφερομένων ἀέρων, καθάπερ ἐν τοῖς Ἠλυσιακοῖς.*«

[2]) Iam prelo traditus erat hic libellus, cum in Schwederi dissertationem de Plinio ac Mela (Philolog. tom. 46, p. 276 sqq.) incidi. Itaque cum pluribus de illa dicere non liceat, hoc loco saltem addo virum doctum mihi non probasse, quae contra Reitzensteinii sententiam disputavit.

Digitized by Google

nunc iam solvitur: omnia enim haec ex antiquitatum libris de locis deprompta esse e consensu cum Verrio et Plinio colligitur.[1]) Tum vero nunc alios quoque locos quosdam Servii, qui eodem pertinent, etsi Varronis nomen neque apud Servium neque alibi laudatur de iis rebus, dummodo concinant cum Verrio et Plinio sive cum solo Verrio[2]), Varroni reddere licet.

Atque hos locos propter illorum consensum Varronianos esse conicio.

Formias quasi Hormias itemque Faliscos ab Haleso **h** littera in **f** mutata dictas esse Servius VII, 695 narrat.[3]) »*Faliscos Halesus condidit. Hi autem, immutato H in F, Falisci dicti sunt, sicut febris dicitur quae ante hebris dicebatur, Formiae quae Hormiae fuerunt, ἀπὸ τῆς ὁρμῆς: nam posteritas in multis nominibus F pro H posuit. Iustos autem dicit Faliscos, quia populus Romanus missis decem viris ab ipsis iura fetialia et nonnulla supplementa XII tabularum accepit, quas habuerat ab Atheniensibus.*«[4])

Idem vero Formiarum veriloquium et apud Plinium et apud Paulum invenimus.

Plin. III, 59. »*Oppidum Formiae Hormiae dictum.*«

---

[1]) Cf. Reitzenstein. l. l. Qui suo iure reiecit Oehmicheni sententiam. Oehmichen, de M. Varrone et Isidoro Characeno C. Plinii in libris chorographicis auctt. primariis. Lips. 1873. — Idem, plin. Stud. Erlang. 1880. p. 27; 47.

[2]) Ex unius Plinii cum Servio consensu Varronem communem utriusque fontem fuisse concludere non licet, quod Catonis quoque memoria, etsi multo rarior, apud utrumque obvia est: itaque cum hic quoque dixerit de Italiae oppidis, tales res et ad eum scriptorem redire possunt. Verrium contra e Catone talia non hausisse Reitzensteinius p. 535, 2 recte pronuntiavit.

[3]) Eadem verba iam Kiesslingius (p. 39) aliis rationibus ductus — contulit enim Dion. I, 21 et Io. Lyd. fragm. Caseol. init. — Varrone non indigna esse censuit.

[4]) Aliter febris vocem in sat. Menipp.Varro explicavit (fr. 33 Buecheler). Itaque aut alio in libro aliud veriloquium posuit aut Servius verba »*febris — hebris dicebatur*« ex alio fonte addidit Varronianis.

Faliscos ab Haleso dictos esse Ovidius quoque refert (fast. IV, 73; am. III, 13, 31).

Digitized by Google

Paul. p. 83, 9. »*Formiae oppidum appellatur ex Graeco, velut Hormiae, quod circa id crebrae stationes tutaeque erant, unde proficiscebantur navigaturi.*«[1])

Faliscorum nomen eadem ratione atque Servius Solinus explicavit (2, 7).[2])

Quod in eodem Servii scholio legimus »*Fescenninum oppidum est, ubi nuptialia inventa sunt carmina*«, Paulus quoque p. 85, 18 praeter alteram versuum Fescenninorum explicationem e Festo excerpsit.

Serv. VII, 684. »*Sabinorum lingua saxa hernae vocantur. Quidam dux magnus (?) Sabinos de suis locis elicuit et habitare secum fecit in saxosis montibus: unde dicta sunt Hernica loca et populi Hernici.*«

Quibuscum conferas Paul. p. 100, 15. »*Hernici dicti a saxis, quae Marsi hernas*[3]) *dicunt.*«[4]) Cf. schol. Veron. VII, 683.

Ad Serv. VII, 799 cf. Plin. III, 59, Paul. p. 22. [Reitzenstein. l. l. p. 537.]

Serv. VII, 799. »*Circaeumque iugum] circa hunc tractum Campaniae colebatur puer Iuppiter, qui Anxyrus dicebatur, quasi ἄνευ ξυροῦ, i. e. sine novacula, quia barbam nunquam rasisset, et Iuno virgo, quae Feronia dicebatur.*[5]) *Est autem fons in Cam-*

[1]) Cf. Strabo p. 233 (p. 320, 28 M.). »*ἐξῆς δὲ Φορμίαι Λακωνικὸν κτίσμα ἐστίν, Ὁρμίαι λεγόμενον πρότερον διὰ τὸ εὔορμον.*«

[2]) Eadem explicatio Catoni videtur placuisse. Cf. Plin. III, 51.

[3]) »*hernas*«, non »*herna*« — id quod codd. exhibent — scribendum puto, cum in illa forma consentiant et Servius et scholiastes Veronensis.

[4]) Quod alter Marsis, alter Sabinis tribuit illam vocem, utrumque exstitisse in fonte ab iis expresso putaverim: dixit Varro, ni fallor, verbum illud in usu fuisse apud Sabinos Marsosque, cum hi a Sabinis originem deduxissent. Similiter Servius a Sabinis (XI, 785), Paulus (p. 106, 1) a Samnitibus hirpum vocari lupum tradiderunt, uterque sine dubio Varronem secutus. Cf. p. 70. Verrium ibi ex illo pendere eo probatur, quod tantum non omnia, quae apud eum pertinent ad ver sacrum, e Varronis, libris exscripta videntur. Cf. Fest. p. 321 a, 18, Paul. p. 379, 11 et Dionys. I, 16 (Kiessling. p. 38), Paul. p. 212, 12 et Plin. III, 110. — Ceterum nescio an recte Burmannus »*Marsus*« pro »*magnus*« apud Serv. VII, 684 coniecerit.

[5]) De Feronia dea Terracinae culta cf. Varronem apud interpolatorem Servii VIII, 564.

Digitized by Google

pania iuxta Terracinam, quae aliquando Anxur est dicta.«

Plin. III, 59. »*Terracina oppidum lingua Volscorum Anxur dictum.*«

Paul. p 22, 11. »*Anxur vocabatur, quae nunc Terracina dicitur Vulscae gentis, sicut ait Ennius: Vulsculus perdidit Anxur.*«

Fortasse haec praeterea Servii propter consensum, qui intercedit inter ipsum et Solinum [1]), Varroni vindicanda sunt.

Serv. III, 402. »*Petilia dicta vel ἀπὸ τοῦ πέτασθαι, i. e. volare, quod captato augurio est condita, vel quod post relictum Ilium, quo ducebatur a Graecis, eam petivit civitatem* (Philoctetes.) — — *Hic postea* — — *sibi parvam Petiliam in Calabriae partibus fecit.*«

Cf. Solin. 2, 10. »*Notum est a Philoctete Petiliam constitutam.*« [2])

Solinum ibi Varronem sequi vel eo intellegitur, quod in iis, quae praecedunt de Praeneste oppido, laudatur Zenodotus.[3]) Hunc autem auctorem a Varrone accitum fuisse eiusque per libros illius memoriam et ad Plutarchum et ad Dionysium pervenisse nono dissertationis capite perspeximus: qua re Solinum quoque eius mentionem ab eodem scriptore accepisse veri simile est. Accedit, quod ne altera quidem fabula a Solino relata Varronianum colorem non prae se fert. Cf. Varronem apud scholiastam Veronens. VII, 681.[4])

---

[1]) Satis enim Reitzensteinius p. 548 docuit »*dass Solin auch noch durch andre Vermittlung als die des Plinius oder Mela die antiquitates Varros für seine chorographischen Partien benutzt hat.*« Nos quoque in iis, quae praecedunt, duobus locis Varroniana apud Solinum deprehendimus, quae neque e Plinio neque e Mela petita sunt (2, 7; 2, 11). Cf. p. 69 et 74.

[2]) Cf. Strabo p. 254 (348, 28 M.). »*κτίσμα δ'ἐστὶ Φιλοκτήτου φυγόντος τὴν Μελίβοιαν κατὰ στάσιν.*« Sane alia de causa secundum Strabonem Philoctetes patria cessit.

Cato apud Interpol. Serv. III, 402a Philoctete Petiliam conditam esse negavit.

[3]) Solin. 2, 9. »*Praeneste, ut Zenodotus, a Praeneste Ulixis nepote Latini filio; ut Praenestini sonant libri, a Caeculo, quem iuxta ignes fortuitos invenerunt, ut fama est, Digidiorum sorores.*«

[4]) Cf. Paul. quoque p. 44, 7. Servius ad Aen. VII, 681 recedit a

Digitized by Google

In adnotationibus Strabonis nonnullos locos hic illic adscripsimus. Ac mira quaedam similitudo exstitit atque eminuit inter geographum scriptoresque, quos dixi Varronianos. Sed cum inter Strabonis auctores Varronem non fuisse constet[1]), eorum concentus explicari non potest, nisi statuimus et Strabonem et Varronem ex uno eodemque fonte hausisse ea, quibus concinunt. Itaque iam quaerendum est, quis fuerit communis ille utriusque auctor.

Tyrrhenum Lydumque fratres de Lydorum regno sortitos alterum in patria remansisse, alterum in Italiam profectum esse Varro et Strabo narraverunt (cf. p. 67). Idem autem praeter Servium Tertullianus exscripsit e Varrone (p. 37), sed ille quidem non hunc solum, sed etiam eum auctorem laudavit, quem ipse Varro videtur expressisse et citasse — Timaeum. Atque plane eandem fabulam Tzetzes quoque tradidit. Qui ad Lycophr. 1351 haec exhibet[2]): »*Τυρσηνὸς καὶ Λυδὸς Ἄτυος παῖδες ἦσαν, τοῦ Λυδῶν βασιλέως. λιμοῦ δὲ κατασχόντος τὴν Λυδίαν πρῶτον παιδιαῖς ἐπειρῶντο παρηγορεῖν ἑαυτούς, ἐφευρόντες σφαίρας καὶ ἀστραγάλους καὶ λοιπὰς παιδιάς. ὡς δὲ περιγενέσθαι τοῦ κακοῦ παιδιαῖς οὐκ ἠδύναντο, διαιρεθέντες εἰς δύο κρίσει τοῦ πατρὸς κληροῦνται, ὥστε τοὺς μὲν μένειν ἐν Λυδίᾳ, τοὺς δ' ἀπαίρειν εἰς ἀποικίαν*[3]*). πεσόντος δ' ἐπὶ Τυρσηνὸν τοῦ κλήρου τῆς ἀποικίας, σὺν τοῖς μετ' αὐτοῦ ἀπαίρει πρὸς Ἰταλίαν καὶ καταπολεμήσας τινὰς τῶν ἐκεῖσε καὶ περιγενόμενος καὶ νικήσας βασιλεύει τῆς χώρας καὶ Τυρσηνίαν ταύτην ἐκάλεσεν.«*

Apparet igitur veterem scholiastam a Tzetze expressum

Solino: quippe qui inventum esse Caeculum a Digidiorum sororibus, non unius ex iis filium fuisse narraverit. De Catonis relatione cf. Iordanum p. XLIII.

[1]) Oehmichenus (plin. Stud. p. 58 sqq.), ut Agrippam non esse chorographum a Strabone laudatum satis docuit, ita non demonstravit Varronem esse illum auctorem anonymum. Cf. Gruppe, phil. Wochenschrift. 1881, p. 110.

[2]) Ed. Chr. G. Mueller. Lips. 1811.

[3]) Tzetzes quoque filios Atyos sortitos esse narravit, non patrem Tyrrhenumque, ut Herodotus prodidit. Cf. p. 37, 3.

Digitized by Google

Timaeo ibi usum esse, etsi non, ut alibi, laudavit eius nomen. Quod saepius usu venire Muellenhoffius (deutsche Altertumskunde I, p. 434) monuit. Neque hoc uno loco ea, quae Varroni vindicavimus, apud Lycophronis scholiastam occurrunt. Nam primum quidem fabula de Diomediis avibus, quam apud Varronem et Strabonem invenimus (p. 65 sqq.), eodem modo apud Tzetzem ad Lycophr. 603 obvia est.[1]) Quem locum cum iam Muellenhoffius p. 434 e Timaeo manasse sibi persuasisset, Strabonem quoque e Siculo auctore ea arcessivisse Hunrathius (Quellen Strabos im 6. Buch. Cassel. 1879, p. 31) evicit. Varronem autem, qui prorsus facit cum geographo, eidem auctori hac in re se addixisse in promptu est.[2])

Praeterea Baiarum nomen eodem modo, quo Varro et Strabo (cf. p. 65), Tzetzes explicavit[3]): quorum propter consensum eam quoque rem e Timaeo repetitam esse contendo, praesertim cum Strabo l. l. optime conveniat cum Diodoro.

---

[1]) Paulo magis etiam quam Strabo Lycophronis scholiastes congruit cum Varrone, cum ipse quoque, ut Serv. VIII, 9 Diomedem ideo domo cessisse dixerit, quod ira Veneris a se vulneratae uxorem turpiter vivere invenisset. Quod Tzetzes a Dauno, Serv. XI, 271 ab Illyriis Diomedem occisum esse tradit, non discrepant inter se: Daunum enim Illyrium fuisse Paul. p. 69, 1 docuit. Praeter Tzetzem cf. ipsum Lycophronem, qui haud dubie eundem fontem atque scholiastes ibi secutus est.

[2]) Plin. III, 104 Hunrathius p. 15 sq. ad Artemidorum rettulit. Sed cum illum ex eodem fonte atque Verrium et Servium — hos scriptores Hunrathius omnino neglexit — prodiisse supra cognoverimus, vix dubitari poterit, quin Varronem ibi Plinius quoque expilarit. Apparet autem ex unius Plinii et Strabonis consensu hunc Timaeo, illum Varroni sua debere concludi non posse, immo ea, quae non nisi apud unum Plinium congruunt cum Strabonianis, ad Artemidorum referenda esse Hunrathius recte monuit. Aliter vero res se habet cum iis, quae et apud Verrium, Servium aliosque Varronis expilatores inveniuntur, a quibus Artemidorum in usum vocatum esse nullo indicio comprobatur. Itemque inde, quod praeter Plinium apud neminem illorum Artemidorus commemoratur, eum non ab ipso Varrone exscriptum esse concludo.

[3]) Ad Lycophr. 694. *ὁ Βαῖος οὗτος κυβερνητὴς ἦν Ὀδυσσέως, ὃς πλανηθεὶς ἐπέβη περὶ Σικελίαν· ἀφ' οὗ φασι κληθῆναι Βαΐας τὰς νήσους καὶ πόλεις καὶ τὸν Βαΐον λιμένα παρὰ τὴν καὶ' Ἰταλίαν Ἄορνιν.* Idem apud ipsum Lycophr. v. 694.

Digitized by Google

Strabo V, 244 (p. 335, 20 M.).

»ταῖς δὲ Βαΐαις συνεχὴς ὅ τε Λοκρῖνος κόλπος καὶ ἐντὸς τούτου ὁ Ἄορνος χερρόνησον ποιῶν τὴν ἀπολαμβανομένην μέχρι Μισηνοῦ γῆν ἀπὸ τῆς μεταξὺ Κύμης καὶ αὐτοῦ. — — — — ἐμύθευον δ' οἱ πρὸ ἡμῶν ἐν τῷ Ἄορνῳ τὰ περὶ τὴν νέκυιαν τὴν Ὁμηρικὴν· καὶ δὴ καὶ νεκυομαντεῖον ἱστοροῦσιν ἐνταῦθα γενέσθαι καὶ Ὀδυσσέα εἰς τοῦτ' ἀφικέσθαι. 245 (p. 337, 11, M.). ὁ δὲ Λοκρῖνος κόλπος πλατύνεται μέχρι Βαιῶν, χώματι εἰργόμενος ἀπὸ τῆς ἔξω θαλάττης ὀκτασταδίῳ τὸ μῆκος, πλάτος δὲ ἁμαξιτοῦ πλατείας, ὃ φασιν Ἡρακλέα διαχῶσαι τὰς βοῦς ἐλαύνοντα τὰς Γηρυόνου.«

Diod. IV, 22 (ed. Vogel).

»κεῖται μὲν οὖν ἡ λίμνη μεταξὺ Μισηνοῦ καὶ Δικαιαρχείων. — — μυθολογοῦσι δὲ τὸ μὲν παλαιὸν γεγενῆσθαι νεκυομαντεῖον πρὸς αὐτῇ, ὃ τοὺς ὕστερον χρόνους καταλελύσθαι φασίν.

ἀναπεπταμένης δὲ τῆς λίμνης εἰς τὴν θάλατταν, τὸν Ἡρακλέα λέγεται τὸν μὲν ἔκρουν ἐγχῶσαι, τὴν δ' ὁδὸν τὴν νῦν οὖσαν παρὰ θάλατταν κατασκευάσαι, τὴν ἀπ' ἐκείνου καλουμένην Ἡρακλείαν.« [1])

Quae de Averno lacu e Varrone et Strabone supra (p. 71 sq.) adtulimus, ea Timaeum narrasse ac reiecisse Antigonus c. 152 (cf. mir. ausc. 102) tradidit (= Tim. fr. 17 Mueller.)[2])

Item fortasse Circen deam in monte Circaeo habitasse e Timaeo Strabo et Varro didicerunt. Cf. cum locis supra adnotatis (p. 64) Tzetzes ad Lyc. 1276 et Diodor. IV, 45, 5.[3]) Quamquam Varro quidem e Cn. Gellio quoque hanc rem haurire potuit. Cf. Solin. 2, 28.[4])

[1]) Cf. Lycophron. 694 sqq. Bethe, quaest. Diodoreae Gotting. 1887. p. 34.

[2]) Cf. Muellenhoff. p. 439. Hunrath. p. 32, adn.

[3]) Luculentissime ibi Diodorus duplicem fontem suum indicat. »ἐκπεσοῦσαν τῆς βασιλείας κατὰ μέν τινας τῶν μυθογράφων φυγεῖν ἐπὶ τὸν ὠκεανόν. — — — κατὰ δέ τινας τῶν ἱστορικῶν (i. e. secundum Timaeum) λιποῦσαν τὸν Πόντον κατοικῆσαι τῆς Ἰταλίας ἀκρωτήριον τὸ μέχρι τοῦ νῦν ἀπ' ἐκείνης Κίρκαιον ὀνομαζόμενον.«

[4]) Si modo recte illius nomen ibi reposuerunt Kiesslingius (de Dion. etc. p. 35) et Petrus (reliq. p. CCXXXXII).

Digitized by Google

Servium X, 174 adferre quaedam quasi e Plinio exscripta, quae non leguntur apud naturalis historiae auctorem, p. 64, 4 monui. Haec autem sunt illa verba Plinio falso tributa: »*Plinius Secundus dicit, cum in aliis regionibus effossis metallis terrae sint vacuae, apud Ilvam hoc esse mirum, quod sublata renascuntur et rursum de isdem locis effodiuntur.*« Quae res cum apud illum nusquam reperiatur, invenitur apud Strabonem.

Strab. V, 223 sqq. (p. 306, 31 M.). »*τοῦτό τε δὴ παράδοξον ἡ νῆσος ἔχει καὶ τὰ τὰ ὀρύγματα ἀναπληροῦσθαι πάλιν τῷ χρόνῳ τὰ μεταλλευθέντα, καθάπερ τοὺς πλαταμῶνάς φασι τοὺς ἐν Ῥόδῳ καὶ τὴν ἐν Πάρῳ πέτραν*« etq. s.

Quid? Desideratur ea fabula apud Plinium, coniungitur illo Servii loco Plinii Varronisque memoria, inter Strabonem et Varronem saepius manifestum consensum intercedere animadvertimus: nonne in aperto est confudisse scholiastam Plinii Varronisque verba? Qua e re non ipsos illos Servium legisse, sed citatos eos in fonte suo invenisse concludo.

Nec vero concentus inter Strabonem Varronemque explicatur, nisi utrumque ex eodem fonte — i. e. e Timaeo — eam rem sumpsisse ponimus. Nec certissimum vestigium desideratur, quo luculenter appareat hanc fabulam — quae ipsa *γραυσυλλέκτριαν* nonnihil resipit — re vera Timaeanae originis esse. Strabo enim, postquam enarravit miram illam rem, eadem hac paragrapho paucis versibus post profert haec: »*ἔστι δὲ κατὰ τὴν Αἰθαλίαν λιμὴν Ἀργῷος ἀπὸ τῆς Ἀργοῦς, ὥς φασιν.*« Ea vero e Timaeo translata esse Diodorus IV, 56, 5 (cf. 56, 3) testatur. Quod cum ita sit, illam quoque fabulam eidem auctori vindicare nullus dubito.

Omnibus autem his locis cum Strabonis Varronisque consensus referendus sit ad Timaeum ab utroque expilatum, in cetera quoque, quae illis communia esse adnotavi, idem cadere conicio.

Quo magis eluceat uberius omnino Siculum illum exprimi a Varrone in libris de locis, haec addam Varroniana, quae haud dubie revocanda sunt ad eiusdem scriptoris auctoritatem.[1])

[1]) Catonem quoque usum esse Timaei libris veri non dissimile est. [M. Porcii locos, qui Graecorum doctrinam redolent, Schweglerus I, 83, 10

Digitized by Google

Quae de Aeoli insulis e Varrone excerpta legimus apud Servium I, 52 (cf. p. 65), eadem fere obvia sunt apud Diodorum V, 7 sq. Huius autem fontem Timaeum fuisse Muellenhoffius p. 449 demonstravit.[1])

Servius I, 570, V, 411 de Eryce, ut p. 64 monui, Varronem exscripsit. Ubi haec leguntur:

I, 570. »*Eryx, Veneris et Butae filius fuit, qui occisus ab Hercule monti ex sepultura sua nomen imposuit: in quo matris fecerat templum.*«

V, 411. »*Varro enim dicit sub Eryce monte esse infecundum campum fere in tribus iugeribus, in quo Eryx et Hercules dimicaverunt.*«

Eadem inveniuntur apud Diodor. IV. 23, 2. »*τοῦ δ' Ἡρακλέους πλησιάσαντος τοῖς κατὰ τὸν Ἔρυκα τόποις, προεκαλέσατο αὐτὸν Ἔρυξ εἰς πάλην, υἱὸς ὢν Ἀφροδίτης καὶ Βούτα τοῦ τότε βασιλεύοντος τῶν τόπων. — — — παλαίσας ἐλείφθη καὶ τὴν χώραν ἀπέβαλεν.*« Quae Timaeo deberi Bethius l. l. p. 35 recte docuit. Cum ultimis Servii verbis ad I, 570 cf. Diodor. IV, 83, 1.[2]) »*Ἔρυκα φασιν υἱὸν μὲν γενέσθαι Ἀφροδίτης καὶ Βούτα, βασιλέως*

---

contulit: qui ipse Siculum exprimi a Catone negavit. Idem senserunt Niebuhrius I, 13, H. Petrus, reliq. p. CL. Cf. Iordan, prolegg. ad Cat. XXXVIII, LX.] Varro autem illius origines saepius secutus est. Nec vero inde per Catonem Timaei doctrinam ad eum propagatam esse licet concludere. Nam etsi originum auctor legit Siculi libros, certe non laudavit eius nomen. Cf. Cornel. Nep. Cat. 3. Iordan p. LX. Varro igitur Timaei memoriam e Catone haurire potuit, non potuit ex illo exscribere Timaei nomen. Id vero cum legatur — ut praetermittam libros deperditos — in libro de r. r. II, 5, 3, ipsum Timaeum a Varrone adhibitum esse consentaneum est. Nec vero is compilator fuit M. Terentius Varro, qui illius libros data occasione inspiceret et excerperet, sed profecto, ut erat summae doctrinae studiosissimus, si omnino adhibuit auctorem quendam, totum eius opus perlegit. Itaque, si quae apud Catonem invenit Timaeana, certe ex ipso quoque Timaeo eadem novit.

[1]) Strabo, cum p. 276 eadem refert, Polybium secutus est. Cf. Muellenhoff. p. 450.

[2]) Cf. Bethe l. l. Idem de Erycis Herculisque pugna Lycophron (Alex. 866) exhibet nec non Tzetzes ad hunc Lycophronis versum; quo vel magis ad Timaeum ea redire probatur.

Digitized by Google

τινὸς ἐγχωρίου δόξῃ διαφέροντος. — — — κτίσαι δὲ καὶ πόλιν ἀξιόλογον ὁμώνυμον αὐτῷ, κειμένην ἐπί τινος ὑψηλοῦ τόπου· κατὰ δὲ τὴν ἄκραν τὴν ἐν τῇ πόλει τῆς μητρὸς ἱερὸν ἱδρύσασθαι.«

Gellius XI, 1, 1 Italiae nomen *ἀπὸ τῶν ἰταλῶν*, i. e. a vitulis, deduxisse Timaeum et Varronem dicit: illius autem sententiam per hunc Gellio innotuisse ab ipso Varrone de r. r. II, 5, 3 satis comprobatur.

Ad Varronem apud interpolatorem Servii X, 13 conferas Iordanum, prolegg. ad Catonem p. XXXVIII. Qui Timaei doctrinam ibi latere arbitratur.[1])

Apud Strabonem Timaei vestigia non nulla exstare cognovimus. Quid vero? Ipsumne Timaeum inspexit geographus an ex alio quodam auctore Timaeana in usum suum convertit? Illud quidem Hunrathius sibi persuasit. Quod quamquam prorsus negare non ausim, tamen argumenta quaedam adferam, cur altera sententia — per intercessorem, etsi non omnia, tamen multa Timaei frustula ad Strabonem itemque ad Lycophronis scholiastam propagata esse — magis mihi arrideat.

Quae de Gymnesiis insulis Tzetzes ad Lycophronis Alex. 633 adscripsit, ea fere omnia e Timaeo in illius scholia redundasse Muellenhoffius p. 466 exposuit.[2]) Strabonem autem ea, quae p. 167/68 habet de iisdem insulis, e Posidonio, qui ipse Timaei vestigia pressisset, deprompsisse licet vir doctissimus (p. 462) recte statuerit, tamen alius praeterea auctor, ni fallor, Timaei memoriam geographo suppeditavit idemque Lycophronis scholiastae. Uterque enim praeter Timaeum (Tzetzes

---

[1]) Quamquam mihi quidem non certissimum videtur Varronem quoque, sicut ceteros, quos citavit Iordanus, de Hercule cogitasse, cum scriberet: *»quae quondam a Graecis possessa est.«*

[2]) Varro quoque apud Hieronymum, comm. epist. ad Galat. II. praef. (cf. Plinium III, 77. Reitzenstein. p. 543) nescio an ex eodem auctore profectus sit. *»Insulae Aphrodisiades et Gymnesiae, quae vocantur Baleares, nonne Graeci sermonis indicia demonstrant.«* Cf. Diod. V, 17. Muellenhoff. p. 461 sqq.

Digitized by Google

l. l., Strabo XIV, 654) de eadem re laudavit Artemidorum Ephesium.

Tzetzes ad Lycophr. 633. »*αἱ δὲ Γυμνησίαι αὗται νῆσοι περὶ τὴν Τυρσηνίαν εἰσί. Μέμνηται δ' αὐτῶν καὶ Ἀρτεμίδωρος.*«

Strabo p. 167 (227, 27 M.). »*τῶν δὲ Γυμνησίων ἡ μὲν μείζων ἔχει δύο πόλεις, Πάλμαν καὶ Πολεντίαν, τὴν μὲν πρὸς ἕω κειμένην τὴν Πολεντίαν, τὴν δ' ἑτέραν πρὸς δύσιν. μῆκος δὲ τῆς νήσου μικρὸν ἀπολεῖπον τῶν ἑξακοσίων σταδίων, πλάτος δὲ διακοσίων· Ἀρτεμίδωρος δὲ διπλάσιον εἴρηκε καὶ τὸ πλάτος καὶ τὸ μῆκος.*« Cf. p. 159 (216, 20 M.).

Quid? Nonne permirum est et a geographo et a scholiasta de eadem re citari eosdem duos scriptores, Timaeum et Artemidorum? Artemidorum Timaei libris usum esse constat.[1]) Nonne igitur veri simillimum est ex Ephesio hausisse et Lycophronis scholiastam et Strabonem, quae Timaeum auctorem apud eos referunt? Quae sententia aliis Strabonis locis firmatur.

Eo in capite, quo Baiarum veriloquium Strabo protulit — ad Timaeum illud redire coll. Diodoro intelleximus (p. 77) — laudatur ab illo non Timaeus, sed Artemidorus.

Strabo p. 245 (p. 337, 18 M.). »*ἔνιοι δὲ τοῦτον αὐτὸν τὴν λέμνην εἶναι τὴν Ἀχερουσίαν φασίν. Ἀρτεμίδωρος δὲ αὐτὸν τὸν Ἄορνον. τὰς δὲ Βαίας ἐπωνύμους*« etq. s.

Item p. 284, postquam de Diomede fabulas Strabo enarravit (cf. p. 77), in iis, quae sequuntur, Artemidori nomen occurrit.

Argyrippam a Diomede conditam esse, id quod legimus l. l., Artemidorum narrasse Hunrathius quoque p. 15 concessit.[2]) Pergit autem vir doctus: »*Bei Strabo freilich wird des Diomedes Wirken in Daunien näher ausgeführt; für diese Sagen ist selbstverständlich Artemidor nicht der Gewährsmann.*« Sed, si de oppidis a Diomede conditis egit Ephesius[3]),

[1]) Cf. Stiehle, philolog. vol. XI, p. 239.

[2]) Quamquam falsa ratione ductus: Varronem enim omnino neglegens ex Artemidoro Plinium eas res hausisse arbitratus est. Cf. p. 77, 2.

[3]) Cf. Stiehle l. l. p. 238: »*Bei den wichtigeren Städten gab er eine Darstellung ihrer Gründung, wobei er eine gewisse Vorliebe zeigt, myth. Persönlichkeiten zu Eponymen zu machen.*« Ecce Timaei ingenii vestigium.

Digitized by Google

cur non fabulas quoque illas, quae pertinent ad eundem heroem, addere potuit? Pauciores profecto sunt Artemidori reliquiae quam ut tam certo affirmare liceat, quid non infuerit in illius libris.

p. 223 quoque, ubi fabula narratur de Ilvae metallis, quam Timaeo supra (p. 79) adscripsimus, laudantur Eratosthenes et Artemidorus. Vides semper nos ad eundem auctorem referri.[1]) An mero casu accidisse putas, ut saepius ibi potissimum, ubi Timaei vestigia deprehendimus, laudaretur Artemidorus? Veri valde dissimilem esse talem casum nemo, spero, non concedet: facillime autem ea res explicatur, si probamus sententiam supra positam. Nec vero negaverim eo, quod his quidem locis per Artemidorum Timaei memoria ad Strabonem pervenit, non iam omnino refutari hunc ipsius quoque illius libros legisse.

Sed haec hactenus de Timaeo. Iam ad Varronem Serviumque revertamur illiusque doctrina qua via ex ipsius libris de locis redundarit in Vergilii interpretis scholia nunc quaeramus.[2]) Nec desunt indicia, quibus freti paulo certius ea de re iudicare possimus.

Animum velim advertas ad Aen. VIII, 597. »*Agylla civitas est Tusciae, a conditore [Agella] appellata, cui ex inscitia Romana aliud est inditum nomen. Nam cum Romani euntes per Tusciam interrogarent Agyllinos quae diceretur civitas, illi, utpote Graeci, quid audirent ignorantes et optimum ducentes, si prius eos salutarent, dixerunt χαῖρε: quam salutationem Romani nomen civitatis esse putaverunt et detracta aspiratione eam Caere nominarunt, ut dicit Hyginus in urbibus Italicis.*« Cf. Serv. X, 183.

De eodem nominis veriloquio, quod ibi Hygino Servius

[1]) Etenim ab Eratosthene eam fabulam prolatam esse vix crediderim, immo eius quoque mentionem ex Artemidoro fluxisse probabile videtur coll. p. 159. Nam ibi per Ephesium Eratosthenis sententiam ab illo adnotatam atque reiectam Straboni innotuisse ex ipsius verbis cognoscimus.

[2]) Nam ipsum Servium Varronis libros non volvisse omnes consentiunt. Cf. Kirchner, de Servii auctt. gramm. Fleckeis. Suppl. 8, p. 535. Linke l. l. p. 9, 4.

Digitized by Google

dedit — *ἀπὸ τοῦ χαίρειν* nominatum esse illud oppidum — Veronensis Vergilii scholiastes laudavit Varronem.

Schol. Veron. X, 183 (p. 103, 16 K.). »*Varro putat Caere oppidum Etruriae a Pelasgis, cum sitientes inventum flumen proximum ab illo oppido salutassent χαῖρε, atque ea causa id vocabulum oppido datum.*« Cf. interpolatorem Serv. ad Aen. X, 183. Sane ibi ab ipsis Pelasgis Caere vocatum esse Varro refert, sed eum praeterea narrasse Agyllam, quod nomen a Pelasgis inditum esset illi oppido, a Tuscis[1]) Caere appellatam esse Dionysius testatur.

Dionys. III, 58, 1. »*πρότερον μὲν Ἄγυλλα ἐκαλεῖτο Πελασγῶν αὐτὴν κατοικούντων, ὑπὸ δὲ Τυρρηνοῖς γενομένη Καίρητα μετωνομάσθη.*«

I, 20, 5. »*πόλεις πολλὰς τὰς μὲν οἰκουμένας καὶ πρότερον ὑπὸ τῶν Σικελῶν, τὰς δ' αὐτοὶ κατασκευάσαντας, ᾤκουν οἱ Πελασγοὶ κοινῇ μετὰ τῶν Ἀβοριγίνων, ὧν ἐστιν ἥ τε Καιρητανῶν πόλις, Ἄγυλλα δὲ τότε καλουμένη.*«

Nam cum Aboriginum urbium catalogum e Varronis antiquitatibus exscriptum esse ipse Dionysius I, 14 dixerit, oppida ab illis una cum Pelasgis habitata ab eodem auctore eum didicisse consentaneum est.[2]) Neque quisquam, qui Varronem noverit, mirabitur duas fabulas eum ad illud veriloquium adnotasse.[3])

Vidimus igitur ea, quae e Varrone profecta esse cognovimus, a Servio tribui Hygino, qui librum scripsit de situ (sive de origine) urbium Italicarum. Constat autem illum Varronis studiosissimum fuisse multaque Varroniana per eum ad posterioris aetatis scriptores propagata esse. Saepius enim Varronis Hyginique nomina coniuncta leguntur apud compi-

[1]) Quod »*Romani*« Servius dixit pro »*Tuscis*«, certe scholiastae errori tribuendum est.

[2]) Idem, quod Dionysius, de Agylla-Caere Plinius exhibet III, 51. Ubi ea quoque, quae praecedunt, ad Varronem redeunt. Cf. p. 38.

[3]) De Praenestis quoque origine duas fabulas videtur narrasse. Cf. p. 75, 3.

Digitized by Google

latores[1]), ita, ut illius memoriam ab Hygino eos petiisse pateat.[2]) Omnibus autem iis, quae de oppidis Italicis Varroniana Servius scholiis suis inseruit, aptissimus locus erat in Hygini libro laudato. Itaque etsi non omnia, tamen ea, quae ad urbes pertinent, Varronis fragmenta apud scholiastam servata per Hyginum hunc assecutum esse puto.[3]) Nec vero ipsius Hygini opera Servium excerpsisse crediderim, sed id solum mihi persuasi illum unum fuisse ex iis, qui medii intercedunt inter Varronem et Servium.

Alii autem quin iam ante Servium expilaverint Augusti libertum, nemo dubitabit. Ac recte mea quidem sententia Laemmerhirtius l. l. p. 372 et 380 e Serv. VII, 678 conclusit eum ex eodem fonte hausisse Hygini doctrinam (itemque Ptolemaei et Catonis quoad quidem ad civitates totius orbis describendas pertineret), unde scholiastes Pliniana quoque accepisset, eumque fontem Vergilii quendam commentarium fuisse probabiliter coniecit. Supra autem Serv. X, 174 Plinii Varronisque memoriam iam in fonte suo una citatam legisse vidimus (p. 79), i. e., ut nunc adicere licet, in commentario illo ignoti auctoris, quem posuit Laemmerhirtius p. 380.

Nec vero fabula ibi a Servio enarrata ad Hyginum referri

---

[1]) Cf. Ascon. in Pis. p. 12 K. Serv. Aen. I, 277. Interpol. VIII, 600. Macr. I, 7 (cf. p. 10). Cf. Interpol. VIII, 638 (p. 61 sq.).

[2]) Quod cum ita sit, per Hyginum eius modi Varroniana pervenisse ad Vergilii interpretem iam re ipsa veri simillimum est nec refutatur ea sententia, si quis improbaverit, quae disputavi de duplici fabula a Varrone prolata.

[3]) Supra (p. 73, 2) e Plinii Serviique consensu Varronem utriusque fontem fuisse concludere ideo dubitavi, quod ad Catonem quoque referri posset eorum concentus. Nunc idem de Hygino valere moneo. Quem etiam a Plinio expilatum esse auctorum indices docent. Ille autem, etsi permulta e Varronis libris sibi ascivit, certe non omnia sua ex eo descripsit. Itaque fieri potuit, ut et Plinius et Servius per Hyginum quaedam acciperent, quibus concinunt, nec vero ea deprompta e Varronis copiis. Qua re vel hac ratione e Plinii Serviique consensu de Varrone auctore quidquam statuere vetamur. Verrium contra praeter antiquitates ullo opere usum esse, quo contineretur chorographia, Reitzensteinius l. l. p. 535, 2 recte negavit. Nec magis apud Solinum Hygini vestigia reperies.

Digitized by Google

potest: quippe qui in libro de urbibus Italicis vix dixerit de Ilvae metallis. Sequitur, ut scholiastes iste non solum e Hygino sumpserit Varronis memoriam, sed ipsius quoque libros expresserit.[1])

Quod cum ita sit, eos quoque Servii locos, quos cum Varronis libris de locis vindicaverimus, ex Hygini libro fluxisse non possunt, eidem illi fonti tribuere licet.

Quorum in numero cum ea quoque sint, quae de Italiae regionibus pestiferis Servius tradit (cf. p. 69 sqq.), haec quoque ad ignotum illum Laemmerhirtii auctorem referenda sunt.

Servius autem, postquam ad Aen. VII, 563 Varronem enumerasse eius modi locos commemoravit, sic pergit: »*unde etiam Donatus dicit Lucaniae esse, qui describitur locus, circa fluvium, qui Calor vocatur.*«

Quo e loco auctorem illum, qui omnem hanc doctrinam chorographicam Servio suppeditaverit, Donatum esse satis certo effici mihi videtur.

Quo dilucidius perspiciatur, quos per rivulos Timaei Varronisque doctrina, de qua hoc capite disputavimus, ad hanc aetatem pervenerit, stemma, quod vocant, appono.

[1]) Aut ex alio Varronis compilatore alia hausit. Nec vero, utrum statuamus, quidquam interest ad hanc quaestionem.

Erratum.

p. 60, 27 pro suspicor l. suspicer.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Princeton University Library
32101 075677235

Digitized by Google

Digitized by Google

Princeton University Library
32101 075677235

Digitized by Google

Digitized by Google